Digitized by Google

R. BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
A
493/2
NAPOLI

N 208

Digitized by Google

Digitized by Google

B 33277 Racc. III. A. 493

FRANCISCI ROSSI

IN NEAPOLITANA ACADEMIA

ANTECESSORIS

PRÆLECTIONES AD INSTITUTIONES JUSTINIANI

IN USUM

SEMINARII NEAPOLITANI

TOMUS II.

Biblioteca Nazionale NAPOLI

NEAPOLI MDCCLXXXVIII.

Ex Typographia Orſiniana.

Publica Auctoritate.

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONUM JUSTINIANI

LIBER III.

TITULUS I.

De Hereditatibus, quæ ab inteſtato deferuntur.

Teſtamentaria ſucceſſione expoſita, ad inteſtati cauſam, Triboniano duce, progredimur. *Inteſtatus* decedit non ſolum, qui teſtamentum non fecit; ſed etiam cujus ex teſtamento hereditas adita non eſt (a); veluti ſi teſtamentum non jure factum, aut ſi irritum, ruptumve ſit, aut deſtitutum (b). Hiſce omnibus caſibus locus eſt ſucceſſioni ab inteſtato, quæ *legitima*

(a) *l. Inteſtatus* 64. *ff. de V. S.*
(b) *pr. h. t.*

Digitized by Google

tima dicitur, quia a lege immediate defertur: quamvis ex tacita voluntate defuncti veniat (*a*).

Inteſtati hereditatem ſuis primum heredibus detulere Decemviri (*b*). *Sui* autem *heredes* dicuntur, qui ſunt in poteſtate patrisf. mortis tempore, & primum ab eo gradum obtinent in cauſa ſuccedendi. Hujuſmodi ſunt filii, nepoteſve, patre præmortuo, ceterique deinceps, quos nemo præcedit. Nec quidquam refert, utrum naturales ſint, an adoptivi, legitimi, an legitimati, nati, an poſthumi, modo ſi, vivo parente, nati eſſent, in ejus poteſtate futuri forent (*c*). Interdum tamen, qui ſuus heres tempore mortis teſtatoris non fuit, ſuus efficitur. Ita ſi ab hoſtibus reverſus quis fuerit poſt mortem patris, jure poſtliminii inter ſuos heredes cenſebitur (*d*). Contra & qui ſuus heres tempore mortis videbatur, poſt mortem patris ſuus non erit, ſi patris memoria damnata fuerit ob crimen perduellionis: ſuum enim heredem habere non poteſt, cui fiſcus ſuccedit (*e*).

Quod vero ad emancipatos, ii quidem jure ſuitatis ad inteſtati ſucceſſionem non vocantur ex jure X-Virali. Neque enim ſui heredes ſunt, qui in poteſtate patris eſſe deſierunt; quique per emancipationem amiſerunt gradum, & nomen liberorum, & extraneorum loco habentur (*f*). Sed Prætor, reſciſſa veluti capitis deminutione, emancipatis ſuccurrit per bonorum poſſeſſionem *unde liberi*, ſive ſoli ſint, ſeu cum ſuis heredibus concurrant (*g*). Imo jure

(a) *l. Conficiuntur* 8. §. 1. *ff. de Jur. Codicill.*
(b) §. 1. *h. t.*
(c) §. 2. *h. t.*
(d) §. 4. *h. t.*
(e) §. 5. *h. t.*
(f) *l. Quin etiam* 55. §. 1. *ff. de Rit. nuptiar.*
(g) *l. Sed cum patrono* 6. §. 1. *ff. de Bonor. poſſeſſ.*

jure noviſſimo emancipati æquo jure cum ſuis ſuccedunt, neque Prætoris auxilio indigent (*a*).

TITULUS II.

De Legitima Agnatorum Succeſſione.

DEficientibus ſuis heredibus, X-Viri agnatos proximos ad inteſtati hereditatem vocarunt (*b*). Decemviralis legis verba nobis ſervavit Ulpianus (*c*) *: At ſi inteſtato moritur, cui ſuus heres nec extabit, agnatus proximus familiam habeto*. Agnati autem appellantur, qui a latere ſunt per maſculos, & virilem ſexum conjuncti. Proximi porro agnati excludunt remotiores. Proximi vero videntur, qui propinquiores gradu ſunt, quoſque nemo antecedit, cum certum eſſe cœperit, defunctum, de cujus bonis quæritur, inteſtatum deceſſiſſe. Quod ſi plures ejuſdem gradus ſint agnati, omnes vocantur in capita, h. e. viriles portiones (*d*). Proximo agnato ſucceſſionem repudiante, locus eſt ſucceſſorio edicto, per quod ſequens admittitur (*e*). Nec quidquam intereſt, utrum naturales ſint agnati, an adoptivi (*f*) maſculi, an feminæ ex jure X-Virali. Tantum poſt legem Voconiam feminæ ultra ſecundum gradum a ſucceſſionibus fuerunt excluſæ. Hoc autem plebiſci-

[a] *Nov.* 118. *c.* 1.
(b) *pr. h. t.*
(c) *Frag.* 26.
[d] *l. Poſt conſanguineos* 2. §. 1. & 2. *ff. de Suis, & legitim.*
(e) §. 5. *h. t.*
[f] §. 2. *eod.*

ſcitum, quod circa teſtamentarias hereditates Gellii ævo jam obſoleverat (*a*), de inteſtatorum hereditatibus uſque ad Juſtinianum ſtetit.

TITULUS III.

De SCto Tertylliano.

CUm X-Viri poſt ſuos vocaſſent agnatos proximos, mater a liberorum ſucceſſione arcebatur, quippe quæ liberis ſuis agnata non erat, ſed quaſi cognata habebatur. Primus Claudius in ſolatium liberorum amiſſorum matri legitimam eorum detulit hereditatem (*b*). Poſtea SCto Tertylliano ſub Hadriano cautum, ut mater ingenua jus trium liberorum habens, libertina quatuor (1), etiamſi in poteſtate foret parentis (2), ad bona filiorum inteſtatorum admitteretur (*c*): quod jus πολυπαιδείας ab Honorio, & Theodoſio omnibus matribus ſine diſcrimine conceſſum (*d*). Matri autem non modo inteſtati parentis liberi præferuntur, ſive primi, ſive ulteriorum graduum; ſed & ipſe inteſtati pater matrem excludit; avus vero, aut proavus matri ex Tertylliano non nocet. Ex eodem

(a) *Gell. N. A. XX.* 1.

(b) §. 1. *h. t.*

[c] *l. Sive ingenua* 2. *pr. ff. h. t.*

(d) *l.* 1. *C. de Jur. deliber.*

(1) Habet jus liberorum non modo, quæ tres, quatuorve liberos procreavit; ſed & quæ jus illud a Principe impetravit. *Paul. Sent. IV.* 9.

[2] Quæ mater in parentis eſt poteſtate, ſine ejus juſſu hereditatem filii legitimam non adit; quia nuptiæ non tollunt patriam poteſtatem. *l. Si uxorem* 5. *C. de Condit. inſert. l. Filiæ licet* 12. *C. de Collat.*

dem SCto frater defuncti conſanguineus matrem excludit; conſanguinea autem ſoror cum matre admittitur (*a*). Sed jure noviſſimo pater, & mater defuncto filio ſine liberis, ſi ſoli ſint, ſuccedunt ſimul in viriles portiones, & ipſis defuncti fratribus conſanguineis præferuntur (*b*). Ceterum quo mater inteſtato filio ſuccedere poſſit, neceſſe eſt, ut filiis impuberibus tutores idoneos petat intra annum: id ſi facere neglexerit, ab eorum ſucceſſione repelletur (*c*) (1); niſi ſit minor 25. annis (*d*).

Ex hoc autem SC. mater ſuccedit non modo liberis ex juſtis nuptiis ſuſceptis, ſed etiam vulgo quæſitis (*e*); quemadmodum & vulgo quæſiti admittuntur ad matris legitimam hereditatem ex SC. Orphitiano (*f*). Id inde factum, quia novæ leges, quales ſunt SC. Tertyllianum, & Orphitianum, non intuentur vinculum civile, ſed conjunctionem naturalem (*g*).

TI-

(a) §. 3. *h. t.*
(b) *Nov.* 118. *c.* 2.
(c) *l. Sive ingenua* 2. §. 23. *ff. h. t.*
(d) *l. Licet* 2. *C. ſi adverſ. delict.*
[e] *d. l.* 2. §. 1. *eod.*
(f) *l.* 1. §. 2. *ff. eod.*
(g) *l. Tutelas* 7. *ff. de Capit. minut.*
[1] Id obtinet in quolibet legitimo herede impuberis, necnon etiam ſubſtituto: is enim ſi impuberi intra annum tutorem non petierit, & pupillus deceſſerit, ei ab inteſtato, vel jure ſubſtitutionis non ſuccedet. *l. Sciant* 10. *C. de Legitim. hered.*

TITULUS IV.

De SC. Orphitiano.

QUemadmodum SCto Tertylliano matribus conſultum fuit, ita SCto Orphitiano ſub Marco Antonino cautum eſt, ut liberi etiam in poteſtate patris conſtituti matri ſuccederent, & præferrentur conſanguineis, & agnatis defunctæ matris (*a*). Nec refert, utrum ex juſtis nuptiis ſuſcepti ſint liberi, an vulgo quæſiti: ſpurii enim, cum ipſis legitimis matri inteſtatæ ſuccedunt (*b*). Tantum ſi mater ſit illuſtris, a juſtis liberis ſpurii in materna ſucceſſione repelluntur. In illuſtribus enim mulieribus, nominari ſpurios ſatis injurioſum eſt, atque acerbum, ut ait Juſtinianus (*c*) Illud autem certi juris eſt, ſucceſſiones, quæ ex Tertylliano, atque Orphitiano SC. deferuntur, minima capitis deminutione non perimi: novæ enim legitimæ hereditates jure cognationis, non agnationis innituntur (*d*).

TITULUS V.

De Succeſſione cognatorum.

LEge 12. Tab. cognati per feminas conjuncti nullo pacto ad ſucceſſionem vocabantur. Sed Prætor ex

(a) *l. Sacratiſſimi 9. ff. ad SC. Tertyll.*
(b) §. *3. h. t.*
(c) *l. Si qua illuſtris* 5. C. *eod.*
(d) §. *2. h. t.*

ex edicto *unde cognati* detulit bonorum poſſeſſionem proximo cognato, deficientibus ſuis, & legitimis heredibus (*a*). Cognati vero dicuntur non modo, qui per feminas nobis conjuncti ſunt; ſed etiam agnati capitis deminutionem paſſi, & vulgo quæſiti ex eadem matre. Naturalis enim cognatio etiam ex injuſtis nuptiis contrahitur (*b*). In ſucceſſionibus autem, quæ jure cognationis deferuntur, naturalis cognatio ſpectatur (*c*). Ceterum inter ſucceſſionem agnatorum ex jure civili, & cognatorum ex jure Prætorio illud interfuit, quod cognatos admiſit Prætor ad ſextum uſque gradum; ex ſeptimo tantum ſobrinorum, ſobrinarumque filios, quos *in tertio* dicunt, vocavit: contra agnati ad ſucceſſionem vocantur, *etſi decimo gradu a defuncto diſtent* (*d*). Hæc autem verba exempli cauſa, non taxativæ vice a Juſtiniano adhibita, dudum monuerunt Interpretes. Is enim agnatos ex jure X-Virali ad hereditatem admiſſos ait, *etſi longiſſimo gradu a defuncto diſtarent*. Cum vero nihil novi juris hac in parte Imperator molitus ſit, hodie ſane, æquato jure agnatorum, & cognatorum, agnati æque ac cognati ultra decimum gradum poſiti fiſcum excludunt.

TI-

(a) *pr. h. t.*
(b) *l. Non facile* 4. §. 2. *ff. de Grad. & affinib.*
(c) §. 1. *h. t.*
(d) §. 5. *h. t.*

Digitized by Google

TITULUS VI.

De Gradibus cognationum.

DE gradibus cognationum ſupra diſputavimus ad titulum de Nuptiis. Operam itaque ne videamur abuti, eo lectorem remittimus.

TITULUS VII.

De Servili cognatione.

SErvilis cognatio juri civili ignota olim fuit: cum ſervis enim nulla erat civilis, & Prætorii juris communio (*a*); quippe qui pro mortuis habebantur (*b*). At Juſtinianus liberos in ſervitute natos, i. e. natos ex ſervis, ſi una cum parentibus manumiſſi forent, parentibus, & fratribus inteſtatis ſuccedere juſſit (*c*).

TITULUS VIII.

De Succeſſione Libertorum.

DEcemvirali jure patronus a liberto impune teſtamento præteriri poterat (*d*) ob liberam patribusf. datam teſtandi poteſtatem (*e*). Ubi vero inteſtatus libertus ſine liberis ſuis heredibus deceſſiſſet, patrono

(a) *l. Qui teſtamento* 20. §. 7. *ff. Qui teſtam. fac. poſſ.*
(b) *l. Servitutem* 209. *ff. de R. J.*
(c) *l. ult. C. de Bon. libert.*
(d) *pr. h. t.*
(e) *l. Verbis legis ff. de V. S.*

no legitima hereditas deferebatur (*a*). At jure Prætorio libertus ſi teſtatus ſine liberis decederet, patrono dimidiam ſaltem bonorum partem relinquere cogebatur (*b*): Patrono autem præterito in teſtamento liberti, vel minori ex parte inſtituto poſſeſſionem contra tabulas non in ſolidum, ſed in ſemiſſem dabat edicto Prætor. Deinde lege Papia cautum, ut, ſi libertus centum millia ſeſtertium in bonis haberet, ſive teſtatus, ſive inteſtatus, decederet, paucioribus, quam tribus liberis relictis, patronus virilem partem ferret (*c*). Poſtremo edixit Juſtinianus, ut ſi libertus ſive major, ſeu minor centenario inteſtatus decederet ſine liberis, patronus totam hereditatem nanciſceretur; ſi vero teſtamentum faceret libertus centenario minor, nullum locum in ejus ſucceſſione patronus haberet. Quod ſi centenario major teſtatus decederet, non relictis liberis, vel exheredatis, patrono præterito dari juſſit non ſemiſſem, ut antea, ſed hereditatis trientem per bonorum poſſeſſionem contra tabulas (*d*).

TITULUS IX.

De Aſſignatione Libertorum.

JUs patronatus apud veteres Romanos commune erat omnium liberorum, nec pater uni ex liberis libertum aſſignare poterat. At Claudianis temporibus cenſuit Senatus poteſtatem patrono facere aſſignandi uni ex liberis in poteſtate poſitis libertum, ut ad eum

(a) *l. Inteſtato 3. pr. ff. de Suis, & legitim.*
(b) §. 1. *h. t.*
(c) §. 2. *h. t.*
(d) §. 3. *h. t.*

eum ſolum illius perveniret hereditas (*a*). *Aſſignare* autem libertum eſt, teſtificari, cujus e liberis libertum paterf. eſſe velit (*b*).

TITULUS X.

De Bonorum Poſſeſſionibus.

Bonorum poſſeſſio eſt *jus perſequendi, retinendive patrimonii, ſive rei, quæ cujuſque, cum moritur, fuit* (*c*). Ea a Prætore introducta eſt juris civilis emendandi gratia (*d*), . Non ſolum autem in legitimis hereditatibus, ſed & in ſucceſſionibus ex teſtamento bonorum poſſeſſio locum habet (*e*). Quin aliquando Prætor eam accomodat non emendandi, ſed confirmandi juris civilis cauſa. Ita heredibus recte teſtamento inſtitutis datur a Prætore bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas, quo facilius poſſeſſionem adquirant, adhibita auctoritate Prætoris, & remediis prætoriis utantur.

Jam vero ex teſtamento duæ ſunt bonorum poſſeſſiones. Prima eſt contra tabulas, quæ datur liberis præſertim emancipatis in patris teſtamento præteritis: modo conferant in communem patris hereditatem bona, quæ in patris obitu habuiſſent. Altera eſt bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas, quæ datur heredi inſtituto, & poſthumo alieno, ſeu arcanum, ſeu nuncupativum ſit teſtamentum. At ab inteſtato octo ſunt bonorum poſſeſſiones. Prima eſt *unde liberi*, quæ datur liberis tam ſuis, quam eman-

[a] *l.* 1. *pr. ff. de Aſſignand. libert.*
[b] *l. Aſſignare ff. de V. S.*
(c) *l. Bona* 3. §. 2. §. *h. t.*
(d) *pr. h. t.*
(e) *l.* 3. *ff. de Bonor. poſſeſſ. ſec. tab.*

emancipatis. Secunda, *unde legitimi*, qua admittuntur legitimi heredes, ſeu ipſi jure agnationis, ſeu nova aliqua lege ad legitimas hereditates vocentur. Tertia, *unde decem perſonæ*, datur decem perſonis, quæ extraneo manumiſſori præferuntur. Quarta, *unde cognati*, per quam cognati proximi veniunt. Quinta, *tamquam ex familia*, per quam vocantur, qui ſunt de familia patroni, uti Theophilus interpretatur. Sexta, *unde patroni*, admittitur patronus, ejuſque liberi in bonis liberti ſine liberis defuncti. Septima, *unde vir*, & *uxor*, per quam maritus, & uxor, deficientibus liberis, ceteriſque agnatis, & cognatis, invicem ſibi ſuccedunt. Octava, *unde cognati manumiſſoris*, datur cognatis patroni.

Hæ quidem bonorum poſſeſſiones ante Iuſtinianum ex edicto dabantur. At Iuſtinianus quatuor ex iis tantum retinuit, ſcil. *unde liberi*, *unde legitimi*, *unde cognati*, *unde vir*, *&* *uxor* (*a*), quæ *ordinariæ* dici ſolent. Quæ enim bonorum poſſeſſiones novo jure, i. e. lege, SCto, Principum conſtitutionibus deferuntur, *extraordinariæ* appellantur. Inter utraſque illud intererat, quod extraordinariæ prævio decreto concedi ſolebant, & non ſine cauſæ cognitione; ordinariæ vero ſine Prætoris decreto, atque de plano plerumque concedebantur.

Olim bonorum poſſeſſio & ſollemniter petebatur, & dabatur a Prætore in urbe & a Præſide in provinciis. Sed, ſublatis a Conſtantino cretionis, & bonorum poſſeſſionis ſollemnibus, hodie coram quocumque judice competente, & quibuſcumque verbis bonorum poſſeſſio peti poteſt (*b*). Petendæ autem

(a) §. 2. *h. t.*
(b) *l. ult.* C. *qui admitt. ad bonor. poſſeſſ.*

tem bonorum poſſeſſioni certa præfinita ſunt tempora; ut, primis non petentibus, ſequentes admittantur; ne hereditas vacua diutius jaceat, & actiones creditorum differantur (a) (1). Et liberis quidem, ac parentibus datur anni ſpatium ad petendam bonorum poſſeſſionem; ceteris agnatis, vel cognatis centum dies utiles (b). *Dies utiles* dicuntur, quibus experiundi juris poteſtas eſt (2). Hinc tempus petendæ bonorum poſſeſſionis currit tantum ab eo die, quo actor ſcivit, defunctum inteſtatum mortuum eſſe, & a prætore potuit bonorum petere poſſeſſionem. Ceterum ſi quis bonorum poſſeſſionem aut dari ſibi noluerit, aut intra dies præſtitutos non admiſerit, non expectatur, quouſque tempus petendæ poſſeſſioni præfinitum lapſum fuerit, ſed ſtatim ceteris fit locus ex edicto ſucceſſorio (c).

TI-

(a) *l.* 1. *ff. de Succeſſ. edict.*

(b) §. *ult. h. t.*

(c) *l.* 1. §. 10. *ff. de Succeſſ. edict.*

(1) Si plures ſint ejuſdem gradus, quibus bonorum poſſeſſio defertur, & aliquis ex his eam intra tempus non petierit, portio non petentis accreſcit ceteris ejuſdem gradus, qui portiones ſuas agnoverunt *l. Ei, qui* 3. §. 6. *ff. de Bon. poſſeſſ.* Jus enim accreſcendi eſt inter bonorum poſſeſſores, ut inter coheredes; quia bonorum poſſeſſores vicem heredum obtinent §. 1. *h. t.* Proinde hereditatis appellatione bonorum poſſeſſio continetur *l. Hereditatis* 138. *ff. de V. S.* eaque Græcis Πατρῴων διαδοχὴ dicitur.

(2) A diebus utilibus parum diſtant *dies ſeſſionum*, ἡμέραι βηματικαὶ a Græcis dicti, quibus Prætor, vel Præſes ſedet pro tribunali. Hi dies poſſunt non eſſe utiles, ubi ſcil. ea ſit bonorum poſſeſſio, quæ de plano peti poteſt *l. Utile tempus* 2. §. 1. *ff. Quis ord. in bonor. poſſeſſ.* Utilibus diebus contrarii ſunt dies *continui*. Utilia ut currant tempora requiritur, ut nullum impedimentum fuerit actori, reo, judici.

TITULUS XI.

De Adquiſitione per Adrogationem.

Tertius univerſalis adquirendi modus eſt adrogatio. Adrogatus cum capite fortunas quoque ſuas in familiam, & domum adrogatoris transferebat (*a*) ejuſque res omnes adrogatori pleno jure adquirebantur (*b*), iis tantum exceptis, quæ per capitis deminutionem peribant. Verum Juſtinianus in bona adrogati tantum uſumfructum adrogatori detulit, proprietatem ab ipſo adrogato retineri juſſit. Mortuo porro adrogato, dominium rerum ejus pleno jure adrogatori adquiri voluit, niſi ſupereſſent certæ perſonæ, quæ ex conſtitutione ſua patri præferrentur (*c*). Cum vero, rebus adrogati ad adrogatorem delatis, creditores nullam habeant adverſus adrogatorem actionem ex contractu adrogati, qui adrogationem præceſſit, ſi pater filium non defendat, creditores crediti ſervandi cauſa in poſſeſſionem bonorum filii per competentes magiſtratus, mittentur (*d*) (1).

TI-

(a) *l. Qui ex liberis* 11. §. 2. *ff. de Bon. poſſeſſ. ſec. tab.*

(b) §. 1. *h. t.*

(c) §. 2. *h. t.*

(d) §. 3. *h. t.*

(1) Competentes magiſtratus ſunt judices ordinarii cujuſque loci, vel municipii, ad quos cognitio pertinet. Ita *competens appellationi judex l.* 5. *ff. de Appellat.* & *competens tribunal. l.* 35. §. 1. *ff. de Procurat.* dicitur.

TITULUS XII.

De eo, cui libertatis cauſa bona addicuntur.

Ex teſtamento, ex quo hereditas non eſt adita; nihil debetur; ut proinde & legata, & libertates corruant, & bona veneant defuncti nomine. Ut itaque & defuncti memoriæ, & libertatibus conſuleretur, M. Antoninus Pompilio Rufo reſcripſit, ut bona ei ex ſervis manumiſſis addicerentur, qui creditoribus ſatisdato caveret, ſe ſolidum cuique ſoluturum (*a*). Is autem, cui bona addicuntur libertatum ſervandarum cauſa, neque heres, neque bonorum poſſeſſor eſt; ſuccedit tamen in defuncti locum, & ad bonorum poſſeſſorem accedit (*b*).

TITULUS XIII.

De Succeſſionibus ſublatis, quæ fiebant per bonorum venditiones, & ex SC. Claudiano.

Quintus univerſalis adquirendi modus eſt bonorum debitoris emtio. Ea per multas ambages expediebatur, & locum habebat, quando judicia ordinaria in uſu erant (*c*). Nimirum ſi debitor fraudationis cauſa latitaret, creditores mittebantur in poſſeſſionem bonorum ejus, crediti ſervandi cauſa: & ſi intra triginta dies non defenderetur, iidem ex ſecundo decreto in eamdem poſſeſſionem miſſi, per

(a) §. 1. *h. t.*
(b) *l. Ergo* 4. §. 21. *ff. de Fideicomm. libert.*
(c) *pr. h. t.*

per magiſtrum, qui hodie *curator* dicitur (*a*), ex ipſorum numero, permiſſu Prætoris, conſtitutum, ſollemni libello in celeberrimis urbis locis bona proſcribebant. Quo vero facilius bonorum emtor inveniretur, in libellis proſcriptionis leges addebantur, puta quota parte debiti creditores ipſi contenti eſſent, & bona addicebantur ſub haſta vel uni creditorum, vel extraneo pluris licenti, qui *bonorum emtor* vocabatur (*b*). Per hanc bonorum emtionem omnes actiones, quæ debitori, & in debitorem competebant, tranſibant in emtorem veluti ſucceſſorem univerſalem, uti docet heic Theophilus (1). Sed bonorum ſectio diu ante Juſtinianum exolevit; & jure noviſſimo judex æquitate ſua, prout utilius creditoribus videbitur, de bonis debitoris decernit.

Poſtremo ex SCto Claudiano miſerabilis erat per univerſitatem adquirendi modus, quo mulier libera, quæ ſervo alieno ſuccubuiſſet, poſt trinam domini denunciationem coram teſtibus factam, ſi ab ea, conjunctione non abſtinuiſſet, domino ſervi cum univerſis bonis addicebatur (*c*). At Iuſtinianus Claudianum SCtum indignum ſua ætate ratus, fortaſſe in Theodoræ gratiam, ſuſtulit (*d*).

De

(a) *l. ult. ff. de Curat. bon. dand.*
(b) *l. Fuſidius 29. ff. de Reb. auct. jud. poſſid.*
(c) *l. 9. & ult. C. Th. de Lib. cauſ.*
(d) *l. un. C. de SC. Claud. toll.*
(1) Triſte carmen magiſtri hoc erat: *Ille debitor noſter in ea cauſa eſt, ut bona ejus divendi debeant. Nos creditores patrimonium ejus diſtrahimus. Quicumque emere volet, adeſto.* Veſtigia hujus ſectionis ſunt apud Cajum *l.* 11. *ſ.* 2. & apud Cic. *pro Quint.* & *lib. VI. ad Attic. ep.* 1. Vid. Merill. *Obſerv. V.* 37.

De ſucceſſionibus ab inteſtato ſecundum jus noviſſimum.

VEteris ſucceſſorii juris, quod a naturali æquitate longe recedebat, pertæſus Iuſtinianus, illud una veluti litura coërcuit, ac novum excitavit (*a*); cujus quidem fundamentum amorem eſſe voluit. Cum vero amor primo deſcendat; tum adſcendat; poſtremo, ubi neutrum datur, ad latera divergat; proinde tres heredum ordines conſtituit Imperator deſcendentium, adſcendentium, & collateralium. De ſingulis, Iuſtiniano duce, videbimus.

De Succeſſione Liberorum.

AD inteſtati ſucceſſionem primo ordine admittuntur liberi, quos natura ſimul vocat, ac parentum commune votum (*b*); quibusque ratio naturalis, quaſi lex quædam tacita parentium hereditatem addicit, ut ait JCtus (*c*). Nihil porro refert, utrum primi gradus ſint liberi, an ulterioris; mares ſint, an feminæ; ex maſculorum, an ex feminarum progenie deſcendant; nati, an poſthumi; ſui, an emancipati (1); legitimi, an per ſubſequens matrimonium legitimati

---

(a) *Nov.* 118.

(b) *l. Scripto herede* 7. §. 1. *ff. ſi tab. teſt. null. extab.*

(c) *l. Cum ratio* 7. *pr. ff. de Bon. damnat.*

(1) Inter ſuos, & emancipatos illud tantum intereſt, quod ſui ipſo jure heredes parenti fiunt, nec aditione habent opus: emancipati vero per aditionem adquirunt hereditatem, quam ſine aditione ad heredes extraneos non tranſmittunt.

timati (1). Tantum ſi cum liberis primi gradus concurrant, qui ſunt gradus ulterioris, illos *in capita*, hos *in ſtirpes* ſuccedere juſſit Juſtinianus. *In capita* ſucceditur, ubi hereditas viritim dividitur, ſeu pro numero perſonarum: *in ſtirpes* vero, ubi proles perſonam parentis ſui quaſi præſentem ſiſtit, atque exhibet; quæ ſucceſſio propterea *repræſentatio* appellari ſolet. Jure itaque repræſentationis remotiores ſuccedunt in locum proximioris defuncti, atque eam partem accipiunt, quam proximior ille habuiſſet, ſi vixiſſet. Hoc jus obtinet in deſcendentibus ſemper, in collateralibus ſemel, numquam in adſcendentibus (*a*). Ceterum ſi ulterioris gradus liberi ſoli ſint, & cum liberis primi gradus non concurrant, ſucceſſio itidem in ſtirpes fiet, & filiorum filii quaſi ipſi filii cenſentur.

Ita quidem de juſtis liberis ſancitum. De injuſtis autem liberis pro eorum diverſitate diverſa ratione conſtituit Imperator. Et *naturales* quidem ad matris licet illuſtris hereditatem cum ipſis juſtis liberis vocavit (*b*). In concubini vero hereditate ad duas tantum uncias eos admiſit cum concubina dividendas in capita; ubi tamen nec juſti liberi, neque juſta uxor concubino foret (*c*). *Spurii* vero qui in jure patrem non habent, matri cum ipſis juſtis liberis ſuccedunt. Tantum ſi mater ſit illuſtris

(a) *Nov.* 118. *c.* 1. 2. 3.
(b) *l. Si qua* 5. C. *ad* SC. *Orphit.*
(c) *Nov.* 89. *c.* 12. §. 4.

(1) Ubi vero legitimati reſcripto Principis cum legitimis concurrant, his ſalva legitima erit jure præcipui, *Nov.* 89. *c.* 9. Principis enim beneficium alteri non debet eſſe damnoſum *l. Prætor ait* 2. §. 16. *ff. Ne quid in loc. public.*

ſtris, juſti liberi eos ab hereditate excludent (*a*): Qui autem ex *damnato coitu*, ſeu ex inceſtu, ſive ex adulterio fuerint procreati liberi, nec ab inteſtato, neque ex teſtamento quidquam paternæ hereditatis capere poſſunt: quin ipſis alimenta quoque jus civile præſtari, aut legari vetat (*b*). Sed hodie liberis ſeu inceſtuoſis, ſive adulterinis ex juris canonici æquitate alimenta decerni ſolent: miſericordia enim indigni non ſunt, qui alieno vitio laborant.

De Succeſſione parentum.

SI liberi defuncto non ſint, ejus luctuoſam hereditatem parentibus deferri juſſit Juſtinianus (*c*): In hac tamen ſucceſſione ſi diverſæ lineæ parentes fuerint, proximioris gradus parens remotiorem excludet. Proinde mater avo paterno, avo materno pater præfertur, ſeu ex paterno, ſeu ex materno latere bona provenerint. Tantum ſi diverſæ lineæ ſint parentes, & in pari gradu poſiti, bona dividentur *in lineas*, ſive in duas partes, quarum altera lineæ paternæ, lineæ maternæ altera cedet, licet diſpar ſit in alterutra linea numerus aſcendentium. Quare ſi defuncto ſuperſint avus maternus, & avus, aviaque paterna, ſemis avo materno, ſemis avo, aviæque paternæ deferetur (*d*).

Ubi præter aſcendentes, etiam germani, germanæque defuncto ſint, hi cum aſcendentibus *in capita* ſuccedunt, ſive primi, ſive ulterioris ſint gradus aſcendentes. Ita ſi adſit avus, & avia

(a) *d. l. Si qua illuſtris* 5. *C. ad SC. Orphit.*
(b) *Nov.* 89. *c.* 15.
(c) *l. Legem Anaſtaſii* 7. *C. de Natural. liber.*
(d) *d. Nov.* 118. *c.* 2.

avia paterna, avus maternus, & frater defuncti germanus, quatuor legitimæ hereditatis portiones fient, & ſingulis quadrans addicetur. Cum ipſis porro adſcendentibus, ac defuncti germanis germanorum etiam filios vocavit Juſtinianus *in ſtirpes*. Germanorum autem filios ea tantum in ſpecie admiſit Imperator, ſi cum thiis ſuis concurrerent: ſi enim ſoli fuerint, eos ab adſcendentibus excludi juſſit. Quod vero ad fratres ex uno parente conjunctos, ii quidem ab adſcendentibus repelluntur. Ceterum quemadmodum legitimati parentibus, ita & ipſis parentes ſuccedunt; & ſpuriis materni adſcendentes ſunt heredes: jura enim ſucceſſionis plerumque ſunt reciproca.

De Succeſſione cognatorum e latere.

DEficientibus deſcendentibus, atque adſcendentibus, e latere cognati vocantur. Inter eos autem primi admittuntur fratres, ac ſorores germani, germanæque *in capita*, ſi ſoli ſint: ſi vero adſint germanorum filii, eos cum defuncti germanis admitti juſſit Juſtinianus *in ſtirpes*. Ubi germani defuncto deſint, ipſi germanorum filii fratribus ac ſororibus ex uno latere defuncto conjunctis præferuntur; ac legitimam hereditatem divident *in capita*, quia non ex jure tranſmiſſo, ſed proprio ſuccedunt, ſine repræſentatione; quidquid Accurſius contra Azonem obnitatur (1).

Poſt

(1) Acerrime diſputatum eſt inter Azonem, & Accurſium, utrum in capita, an in ſtirpes ſuccedant fratrum filii, ſi ſoli defuncto ſuperſint. Accurſius diviſionem in ſtirpes propugnabat: Azo pro diviſione in capita decertabat. Azonis ſententia in conventu Imperii

Gre-

Poſt germanos, eorumqne liberos vocantur fratres ex uno latere conjuncti, conſanguinei, aut uterini ſine ſexus diſcrimine. His porro deficientibus, vocavit Juſtinianus cognatos ceteros ſecundum gradus proximitatem *in capita*, ut pares gradu pariter admittantur, & proximior excludat remotiorem. Ita quidem propatruus, fratris germani nepos, patruelis, conſobrinus, & fratris conſanguinei nepos defuncti hereditatem in quinque portiones divident: defunctum enim quarto gradu omnes attingunt. Contra patruus excludit patrueles; nam ille tertio, hi quarto gradu a defuncto diſtant. In poſtrema autem hac cognatorum ſucceſſione nullum repræſentationis jus, nulla ſexus differentia, nullum agnationis, & cognationis diſcrimen ſpectatur: nec inſpicitur, bona paterna ſint, an materna; & duplicitatis vinculi nulla ratio habetur (*a*).

Si nulli extant cognati, conjuges ſibi invicem ſuccedent ex edicto Prætoris, qui, deficientibus legitimis, dat bonorum poſſeſſionem viduo, vel viduæ, modo tempore mortis juſtum fuerit matrimonium, & poſſeſſio intra centum dies ſit petita (*b*). Jure autem noviſſimo, ubi conjux ſuperſtes inops fue-

---

Germanici Spirenſi, & in ſupremo Pariſienſi ſenatu confirmata fuit an. 1529. *Gudelin. de Jur. noviſſ.* 11. 15. Ea vero, quidquid Accurſiani obſtrepant, veteri juri conſentanea eſt. Ulpianus enim *l.* 2. §. 2. *ff. de Suis, & legitim.* hanc ſpeciem proponit: *duos fratres habui; unus ex his unum filium, alius duos reliquit*: tum reſpo det: *hereditas mea in tres partes dividetur*. Idem habet Cajus apud *Collat. LL. Moſaic. & Romanar. tit. XVI.* 2. Juſtinianus porro nil juris veteris hac in re innovavit. *Vid. Vinn. ſel. Quæſt.* 11. 30.

(a) *Nov.* 118. *c.* 4.

(b) *l. un. C. Und. vir, & ux.*

fuerit, cum ipſis liberis ſuccedit in quartam portionem, ſi liberi ſint tres, vel pauciores; in portionem virilem, ſi plures ſint, quam tres liberi. Hanc porro ſeu quartam, ſeu virilem portionem pleno jure capit mulier, ſi cum liberis communibus non concurrat: ſecus enim ejuſdem portionis uſumfructum tantum habebit (*a*). *Inops* autem dicitur, qui, quæque ſecundum dignitatem, & conditionem ſuam ſe exhibere non poteſt (*b*).

Cognatis omnibus, ac conjuge deficientibus, bona defuncti tamquam vacantia fiſcus occupat (*c*). Ad fiſcum autem ulla bona pertinere non poſſunt, niſi quæ creditoribus ſuperfutura ſunt: *id enim bonorum cujuſque intelligitur, quod æri alieno ſupereſt*, ait Javolenus (*d*). Quod ſi defunctus alicujus collegii membrum fuerit, fiſcus a collegio repellitur. Hinc legio, vel comitatenſis vexillatio in bonis militis (*e*), & corpora naviculariorum, vel fabricenſium in bonis corporati fiſco præferuntur; quemadmodum & ſocii liberalitatis Principis fiſcum excludunt (*f*). Qui autem gradu poſiti cognati fiſco præferantur, ſupra prævertimus.

TI-

(a) *Nov. 53. c. 6. Nov. 117. c. 5.*
(b) *Huber Prælect. h. t. §. 18.*
(c) *l. 1. ff. de Succeſſ. edict.*
(d) *l. Non poſſunt 11. ff. de Jur. fiſc.*
(e) *l. 2. C. de Hered. decur.*
(f) *l. 1. C. Si liberal. Imperial.*

TITULUS XIV.

De Obligationibus.

Juris in re omnibus ferme ſpeciebus expoſitis, ad jus ad rem, obligationeſque inde manantes tranſit Tribonianus. Eſt vero obligatio *juris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur alicujus rei ſolvendæ ſecundum noſtræ civitatis jura* (a). Ex definitione patet, obligationis ſubſtantiam non in eo conſiſtere, ut aliquod corpus noſtrum, aut ſervitutem noſtram faciat; ſed ut alium nobis obſtringat ad dandum aliquid, vel faciendum, vel præſtandum. Quapropter ex promiſſione ſtipulanti facta ſub clauſula, *ſi volam*, nulla naſcitur obligatio: pro non dicto enim eſt, quod, dare niſi velis, cogi non poſſis (*b*).

Obligatio alia eſt mere naturalis, alia mere civilis, alia mixta. Naturalis eſt, quæ ſola æquitatis ratione nititur. Hæc vel perfecta eſt, vel imperfecta. Imperfecta dicitur illa, quæ oritur ex jure naturali imperfecto, ſeu ex regulis honeſti, veluti ut demus eleemoſynas, ut damnum ab altero avertamus. Perfecta vero ea eſt, quæ oritur ex conventione, *vinculum æquitatis* a Papiniano appellata (*c*). Hujuſmodi eſt, quæ ex nudo pacto deſcendit (*d*), necnon obligatio filiif. ex mutuo contra SC. Macedonianum (*e*). Iſthæc obligatio licet actionem non producat (*f*) (1); tamen aliis effectibus non deſtitui-

(a) *l. Obligationum 3. pr. ff. de O. & A.*
(b) *l. Sub hac 8. ff. eod.*
(c) *l. Stichum 95. §. 4. ff. de Solut.*
(d) *l. 1. pr. ff. de Pact.*
(e) *l. Quia 10. ff. de SC. Maced.*
(f) *l. Juris gentium 7. §. 4. ff. de Pact.*
(1) Non deſunt pacta, quibus aut Prætor, aut Principes,

tuitur; nam & impedit repetitionem ſoluti (*a*), & admittit fidejuſſorem (*b*), novationem (*c*), conſtitutum (*d*), & venit in compenſationem (*e*), & producit exceptionem (*f*).

Obligatio mere civilis eſt, quæ ſolo jure civili nititur; ita ut ipſo jure quidem pariat actionem, ſed quæ per exceptionem elidi poſſit. Ejuſmodi eſt ſtipulatio ejus, qui metu inductus, vel dolo deceptus ſtipulanti promiſit (*g*). Mixta denique obligatio eſt, quam naturalis ſuſtinet æquitas, & civilis firmat auctoritas. Ita venditor jure naturali, & civili ad rem tradendam obligatur (*h*). Atque hæc eſt obligatio, quam Imperator definit in pr. h. t. quæ ſcil. ſui natura efficax eſt ad producendam actionem.

Rurſus obligationes aliæ ſunt civiles, aliæ Prætoriæ, ſeu honorariæ. Civiles jure civili aut conſtitutæ, aut comprobatæ ſunt, uti verborum obligatio, obligationeſque mixtæ, quæ ex contractu, aut delicto deſcendunt. Prætoriæ ex Prætoris juriſdictione manant (*i*), veluti obligatio conſtitutæ pecuniæ. Prætoriæ aliquando annales ſunt, aliquando per-

cipes, aut fori diſputatio actionem accomodavit. Hujuſmodi ſunt pactum pecuniæ conſtitutæ *l.* 1. *pr. ff. de Pec. conſtit.* pacta dotalia *l.* 6. *C. de Dot. promiſſ.* & pacta contractibus bonæ fidei in continenti adjecta *l. Juris gentium* 7. §. 6. *ff. Pact.*

(a) *l. Naturaliter* 13. *ff. de Condict. indeb.*

(b) *l. Stipulatus* 6. §. 2. *l. Quod enim* 7. *ff. de Fidejuſſ.*

(c) *l.* 1. §. 1. *ff. de Novat.*

(d) *l.* 1. §. 7. *ff. de Pec. conſt.*

(e) *l. Etiam* 6. *ff. de Compenſat.*

(f) *l. Juris gentium* 7. §. 4. *ff. de Pact.*

(g) §. 1. *Inſt. de Except.*

(h) *l. Ex emto* 11. §. 1. *ff. de Action. emt.*

(i) *l. Obligamur* 52. §. 5. & 6. *ff. de O. & A.*

Digitized by Google

perpetuæ : civiles ſemper ſunt perpetuæ. Civilis autem obligatio oritur ex contractu, vel quaſi contractu, ex delicto, vel quaſi delicto. Atque hoc eſt, quod ait JCtus (*a*), obligationes aut ex contractu naſci, aut ex maleficio, aut *proprio quodam jure ex variis cauſarum figuris*, ideſt, ex quaſi-contractu, vel quaſi maleficio.

Jam vero contractus eſt *conſenſus duorum, vel plurium in idem placitum*. Contractus porro alii ſunt *nominati*, alii *innominati*, ſive, uti Ulpianus eos appellat, *certi*, vel *incerti* (*b*). Nominati proprium nomen habent, & cognominem actionem producunt. Innominati nec certum habent nomen, nec certam producunt actionem. Horum contractuum, qui nomine deſtituuntur, quatuor celeberrimi uſus ſpecies apud veteres fuerunt, nim. *do, ut des; do, ut facias; facio, ut des; facio, ut facias* (*c*). Hujuſmodi contractus nominis loco cauſam, i. e. dationem, vel factum unius promiſſa implentis habent (*d*). Præterea re ineuntur, & antequam aliquid ex una parte datum, factumve ſit, nuda ſunt pacta : Poſtremo, re integra, admittunt pœnitentiam ejus, qui dedit : factum vero infectum fieri nequit. Producunt autem actionem *præſcriptis verbis*, quia præſcriptis verbis rem geſtam, & factum ipſum demonſtrant (*e*).

Rurſus contractus nominati vel veri ſunt, vel quaſi-contractus. Veri contractus conſtant conſenſu vero & liquido, ſive expreſſo, ſeu tacito. Quaſi-contractus conſtant conſenſu præſumto a lege ex facto

(a) *l.* 1. *pr. ff. eod.*
(b) *l. Certi* 9. *pr. ff. de Reb. credit.*
(c) *l. Naturalis* 5. *ff. de Præſcr. verb.*
(d) *l. Juris gentium* 7. §. 2. *ff. de Pact.*
(e) *l. Cum mota* 6. *C. de Tranſact.*

facto licito, ob æquitatem naturalem, & utilitatis cauſa.

Veri contractus vel ſunt *unilaterales*; vel *bilaterales:* illis una tantum pars; his utraque pars obligatur. Iidem vel ſunt *bonæ fidei*, vel *ſtricti juris*. De iis infra redibit ſermo. Quidquid autem jure Romano fuerit diſcriminis inter hujuſmodi contractus, hodie contractus omnes ad ſimplicitatem juris gentium redacti bonæ fidei cenſentur.

Ceterum veri contractus vel *re* conſtant, vel *verbis*, vel *litteris*, vel *conſenſu*. Proinde alii ſunt *reales*, alii *verbales*, nonnulli *litterales*, plerique *conſenſuales*.

TITULUS XV.

Quibus modis re contrahitur Obligatio.

RE iniri contractus dicuntur, non quia de re ineuntur, nec quod pariunt actionem in rem; ſed quia rei traditio initium ipſis præbet, nec ſunt perfecti, niſi res proficiſcatur (*a*). Quare ſi per ſolum conſenſum de re tradenda ineantur, vix intra pactorum limites continentur (*b*). Realium contractuum quatuor ſunt ſpecies, *Mutuum* nempe, *Commodatum*, *Depoſitum*, & *Pignus*. In mutuo transfertur dominium, in commodato uſus, in depoſito quæritur cuſtodia, in pignore ſecuritas.

Mutuum eſt contractus unilateralis, quo quantitas

(a) *l. Mutuum* 2. §. 3. *ff. de Reb. cred.*
(b) *l. Qui pecuniam* 30. *ff. eod.*

titas alicui gratis ea lege datur, ut eadem in genere, non in ſpecie reſtituatur. In mutuo itaque quantitates dantur, ſeu res, quæ pondere, numero, & menſura conſtant; quæque *fungibiles* ideo dicuntur, quia res ejusdem naturæ, generis, & bonitatis ſubeunt in locum aliarum, earumque vice funguntur (*a*). Ita in tritico, vino, lacte, pecunia, & aliis hujuſmodi rebus, tantumdem eſt idem. Præterea mutuum gratuitum eſſe oportet: ex amico namque affectu proficiſcitur, & omnem mercedem reſpuit: quod in fœnore ſecus ſe habet.

Jam vero in mutuo res ita datur, ut accipientis fiat, ex quo factum mutuo nomen veteres dixerunt, *quaſi ex meo tuum*, Stoica ſane alluſione (*b*). Quamobrem ſi quis alienam pecuniam mutuo dederit, ex numeratione mutuum non contrahitur. Ea itaque ſi ſine dolo malo conſumta fuerit, condici poterit; ſi vero extet, vindicabitur; quod ſi dolo deſiit poſſideri, datur domino actio ad exhibendum, perinde ac ſi extet pecunia (*c*). Cum porro per mutuum in accipientem dominium transferatur, debitor ea abuti poterit, & omne periculum ad ipſum pertinebit (*d*). Ex eodem principio fluit, ut creditor rem non vindicet, ſed condicat; nec quiſquam mutuum dare queat, niſi dominium, & liberam rei adminiſtrationem habeat (1) (*e*).

Ex

---

[a] *l. Mutuum 2. pr. ff. eod.*
[b] *d. l. 2. §. 2. eod.*
[c] *l. Rogaſti me 11. §. ult. ff. eod.*
(d) *l. Incendium 11. C Si certum pet.*
(e) *l. 2. §. 2. ff. de Reb. credit.*

(1) Quæri heic ſolet, mutato monetæ pretio inter mutuum contractum, & mutui reſtitutionem, damnum aut lucrum cuinam cedat, mutuanti, an mutuatario. Multa ad hanc quæſtionem reſolvendam afferunt paſſim in-

Ex hoc contractu naſcitur condictio certi ex mutuo. Ea actione perſonali, civili, ſtricti juris, petit creditor, ut res mutuo data in eodem genere, eadem quantitate, & qualitate ſibi reſtituatur (*a*). Quare non poteſt creditor plus petere, quam fuit numeratum; &, licet convenerit, ut plus ſit in debito, quam in mutuo, hujuſmodi pactum nullius momenti habebitur: quamvis conveniri poſſit, ut minus reddatur (*b*) (1).

Pa-

---

interpretes: eorum ſcrinia compilare non lubet. Res omnis huc redit: vel *intrinſeca* facta eſt, vel *extrinſeca* monetæ mutatio. Intrinſeca fit, mutata materiæ qualitate; extrinſeca vero contingit, ubi pretium a priori diverſum per publicam poteſtatem monetæ imponitur. In priori ſpecie pecunia reſtituetur, habita ratione qualitatis, quæ ipſi inerat tempore contractus. *l. Cum quid 3. ff. de Reb. credit.* In poſteriori autem ſpecie, tempus ſolutionis ſpectari debet, atque augmentum,& decrementum debitorem ſequetur. Sed de hac re videſis *Pufendorff. de I. N. & G. l.* V. 7. 7.

(a) *l. Stipulationum* 74. *ff. de V. O.*

(b) *l. Rogaſti* 11. §. 1. *ff. de R b. credit.*

[1] A mutuo longe diſtat fœnus, quod potius ad locationem accedit. Vetuſtiſſimo Romanorum jure uſuræ non fuerunt improbatæ. Eæ tamen pro temporum diverſitate diverſo modo conſtitutæ ſunt; &, aucta pecunia, uſuræ centeſimæ legitimæ fuerunt. Ultra centeſimas uſuras tantum in fœnore nautico utiliter promittebatur. Verum Juſtinianus illuſtres perſonas vix trientes uſuras exigere conceſſit; ceteris permiſit ſemiſſes: unis negotiatoribus indulſit, ut uſuras beſſes exigerent: in nautico fœnore ultra centeſimas exigere vetuit. Ceterum apud nos crimen uſurariorum publicum evaſit; ac præter Eccleſiaſticas pœnas, uſurarii ſubjiciuntur publicationi bonorum, & adverſus eos privilegiaria probatione judicium exercetur *Conſtit. Uſurariorum de Uſurar. puniend. Pragm.* 1. & 6. *de Uſurar.*

Parum a mutuo diſtat *indebiti* ſolutio ; quæ tamen non verus, ſed quaſi contractus eſt (*a*), *promutuum* a Cujacio dicta (*b*). Qui indebitam pecuniam accepit, obligatur ei, qui per errorem, & ignorantiam facti ſolvit (*c*). Si quis vero ſciens, aut errore juris ſolverit, indebitum non condicit, quia donaſſe cenſetur (*d*). In eo autem condictio mutui ab indebiti condictione differt, quod condictio mutui datur ex contractu ; indebiti condictio quaſi ex contractu competit.

Inter contractus reales locum etiam obtinet *Commodatum*, Eo res gratis utenda datur ad certum tempus, ac certum uſum ea lege, ut eadem in ſpecie reſtituatur (*e*). Inter mutuum itaque & commodatum hoc intereſt, quod res in commodato non fit accipientis (*f*); ut proinde neque dominium transferatur, neque poſſeſſio (*g*). At mutui datio dominium in accipientem transfert (*h*). In commodato autem nullam mercedem intervenire oportet (1): ſi enim in hoc contractu merces locum habeat, vel *locatio* efficitur; vel contractus erit innominatus, prout merces

(a) §. 6. *Inſt. de Obligat.*, *quæ quaſ. ex contract. naſc.*

(b) *Cujac. l. VIII. Obſ.* 34.

(c) *l. Cum quis* 10. *C. de Jur. & fact. ignorant.*

(d) *l.* 1. §. 1. *ff. de Condict. indeb.*

(e) §. 2. *h. t. l. Sed mihi* §. *ult. ff. Commod.*

[f] *l.* 1. §. 3. *ff. de O. & A.*

(g) *l. Rei* 8. *l. Nemo* 9. *ff. Commod.*

(h) *l.* 1. §. 2. *ff. de O. & A.*

(1) Quantopere commodato uſi ſint Romani inter ſe, oſtendit Plinius *l.* 33. *c.* 11. *Invenimus legatos Carthaginenſium dixiſſe, nullos hominum inter ſeſe benignius vivere, quam Romanos; eodem enim argento apud omnes cœnitaviſſe ipſos.*

ces vel in pecunia, vel in re alia præſtabitur. Præterea cum ad certum modum & tempus res in commodato detur, apparet, ipſum a precario longe diſtare. Precarium enim precibus petentis utendum conceditur, quamdiu, qui conceſſit, patitur: quod genus liberalitatis ex jure gentium deſcendiſſe, ait Ulpianus (*a*).

Ex commodato duplex datur actio, *directa* ſcil., & *contraria*. Actio commodati directa eſt perſonalis, civilis, rei perſecutoria. Ea datur commodanti adverſus commodatarium, ut rem commodatam in ſpecie reſtituat, & præſtet dolum, & culpam etiam leviſſimam. Commodatarius enim, cujus ſolius commodo contractus cedit, eam diligentiam præſtare debet, quam quiſque diligentiſſimus paterf. ſuis rebus adhibet; ut tantum eos caſus non præſtet, quibus reſiſti non poteſt (1). Contraria autem actione experitur commodatarius adverſus commodantem ad indemnitatem, ubi nim. haud modicos ſumtus in rem commodatam fecerit; ubi ante finitum uſum res fuerit intempeſtive repetita. Ita ſi quis ſciens vaſa vitioſa commodavit, & vinum, vel oleum infuſum corruptum, effuſumve fuerit, eo nomine condem-

(a) *l.* 1. *ff. de Precar.*

(1) Interdum commodatarius culpam levem præſtat, ubi ſcil. utriuſque contrahentis gratia res ſit commodata. Ita ſi communem amicum ad cœnam invitaverimus, tuque ejus rei curam ſuſceperis, & ego tibi argentum commodaverim, culpæ teneberis *l.* 18. *pr. ff. h. t.* Non deſunt etiam ſpecies, in quibus commodatarius caſum præſtare compellitur, veluti ſi res æſtimata fuerit commodata; ſi commodatarii culpa res commodanti interierit *l. Si ut certo* 5. §. 3. 4. *ff. eod.* ſi caſum commodatarius in ſe receperit *l. Contractus* 23. *ff. de R. I.*

demnari oportere, reſpondit Cajus (*a*).

Depoſitum eſt contractus realis, quo res mobilis alicui gratis cuſtodienda datur ea lege, ut is eam ipſam bona fide repoſcenti reſtituat. Ex definitione liquet, depoſitum mercedem prorſus abhorrere, quia cum amicis initur. In depoſito autem ſola cuſtodia depoſitario defertur, neutiquam vero dominium, vel uſus. Quare ſi depoſitarius re depoſita utatur, furti uſus recte arceſſitur (*b*), & in bonis nummularii vendendis potior eorum cauſa eſt, qui pecunias apud menſam depoſuerunt; ut, ſi extent nummi, vindicari recte poſſint (*c*). Illud etiam certum eſt, depoſitarium domino repoſcenti rem reſtituere debere, nullamque compenſationem, vel deductionem, vel doli exceptionem opponere poſſe, ne contractus, qui ex fide oritur, ad perfidiam retrahatur (*d*).

Depoſitum aliud eſt *ſimplex*, aliud *miſerabile*. Miſerabile depoſitum dicitur, quod fit naufragii, ruinæ, incendii, tumultus cauſa (*e*). Simplex verſatur circa rem non litigioſam extra neceſſitatis caſum. Dividi ſolet in *regulare*, & *irregulare*. Illud veri depoſiti fines non egreditur; per hoc vero depoſitarius re depoſita ex tacita deponentis voluntate impune utitur. Ita ſi pecuniam non obſignatam apud te depoſuero tacita lege, ut ea uti poſſis, irregulare depoſitum erit; eoque caſu omne periculum ad depoſitarium pertinet, quippe qui utendo fit rei depoſitæ dominus (*f*). Inter utrumque depoſitum hoc intereſt, quod

(a) *l. In rebus* 18. *pr.* & §. 3. *ff. Commod.*
(b) §. 6. *Inſt. de Obligat. quæ ex del. naſc.*
(c) *l. Si ventri* 24. §. 2. *ff. de Reb. auct. jud. poſſid.*
(d) *l. Si quis* 11. *pr. C. Depoſ.*
(e) *l. De eo* 18. *ff. eod.*
(f) *l.* 1. §. 34. *ff. eod.*

quod in depoſito miſerabili depoſitarius ob dolum, h. e. ob inficiationem tenetur in duplum; in depoſito vero ſimplici adverſus depoſitarium actio in ſimplum datur (*a*).

Parum a depoſito differt *ſequeſtratio*, quæ fit, cum duo, vel plures rem litigioſam apud tertium deponunt ea lege, ut is, finita lite, rem victori reſtituat (*b*). In eo autem a depoſito diſtat ſequeſtratio, quod hæc in re litigioſa fit, & præter cuſtodiam transfert naturalem poſſeſſionem in ſequeſtrem; in depoſito autem id ſecus obtinet (*c*). Præterea deponere vel unus poteſt; apud ſequeſtrem vero, niſi plures, non deponunt. Sequeſtratio porro vel *voluntaria* eſt, quæ fit ex conventione partium; vel *neceſſaria*, quæ fit auctoritate judicis. Neceſſaria ſequeſtratio legibus vetita plerumque eſt, ne lis ab executione inchoetur (*d*); niſi inſtet metus armorum, fugæ, dilapidationis (*e*).

Ex depoſito duplex actio oritur directa, & contraria. Directa actione deponens adverſus depoſitarium experitur, ut rem depoſitam etiam ante tempus conſtitutum reſtituat, & ſarciat damnum dolo, vel lata culpa datum (1). Contraria vero actio datur depoſitario adverſus deponentem ad indemnitatem (*f*), utque deponens culpam etiam leviſſimam præ-

(a) *l.* 1. §. 1. *eod.*
(b) *l. Licet* 17. *pr. ff. eod.*
(c) *d. l.* 17. §. 1. *eod.*
(d) *l. un. C. de Prohib. ſequeſtrat. pec.*
(e) *l. Imperatores* 21. §. *ult. ff. de Appellat.*
(f) *l. Ei, apud quem* 5. *pr. ff. Depoſ.*
(1) Fraude tamen non caret depoſitarius, qui non ad eum modum, quem hominum natura deſiderat, diligens eſt; niſi tamen ad ſuum modum curam in depoſito præſtet. *l. Quod Nerva* 32. *ff. Depoſ.*

præſtet, v. c. ſi pecus morboſum, ſervumve furacem depoſuit.

Pignus quoque eſt contractus juris gentium, bonæ fidei, re conſtans, quo res aliqua a debitore, vel alio datur creditori in debiti ſecuritatem (1), ea lege, ut, ſoluto debito, eadem res in ſpecie reſtituatur (*a*). Licet autem pignus ab hypotheca nominis tantum ſono differre, dixerit Marcianus (*b*); in eo tamen diſcrimen inter utrumque intereſt, quod pignus proprie re contrahitur, hypotheca nudo pacto conſtituitur; pignus locum habet in re mobili, hypotheca in re immobili (*c*); & pignoris poſſeſſio naturalis tranſit in creditorem; hypothecæ nulla poſſeſſio ad creditorem transfertur (*d*).

Ex hoc contractu duplex actio datur directa pignoratitia, & contraria. Directa actione debitor, ſoluto debito, petit a creditore, ut pignus reſtituat cum omni cauſa, damnumque ſarciat, dolo, lata, vel levi culpa illatum. Niſi itaque a debitore omne debitum exſolutum, aut eo nomine ſatisfactum, pignoratitia actio locum non habebit (*e*). Creditor autem actione pignoratitia pulſatus rem ipſam

(a) §. 4. *h. t.*
(b) *l. Res hypothecæ* 5. §. 1. *ff. de Pignor.*
(c) *l. Plebs eſt* 238. §. 2. *ff. de V. S.*
(d) *l. Si rem alienam* 9. §. 3. *ff. de Pignorat. act.*
(e) *d. l.* 9. §. 3.

(1) Pignoratitia re creditor uti nequit, niſi fuerit contractui appoſitum pactum *αντιχρησεως*, quo convenitur, ut creditor uſurarum nomine uſum, ac fructus rei pignoratæ percipiat. Hujusmodi pactum non reſpuunt leges *l.* 11. §. 1. *ff. de Pign. Act.* Potius damnatur lex *commiſſoria*, qua conveniri ſolet, ut, non ſoluta pecunia intra certum tempus, res pignorata in creditoris dominium transferatur. *l. ult. C. de Pact. pign.*

ipſam reſtituet; pignus enim, manente proprietate debitoris, ſolam poſſeſſionem ad creditorem transfert (*a*). Proinde jus luendi pignoris nullius longiſſimi temporis præſcriptione tollitur (*b*). Contraria vero actione experitur creditor adverſus debitorem ad indemnitatem. Ita ſi debitor rem alienam, morboſam, vel alteri obligatam ſciens prudensque pignori dederit, pignoratitio judicio pulſatus & indemnitatem creditori præſtabit, & extra ordinem ſtellionatus nomine plectetur (*c*). Illud quoque exploratum eſt, ſi neceſſarios ſumtus circa res pignoratitias creditor fecerit, eos exigere non prohiberi (*d*).

DE PRÆSTATIONE

Doli, Culpæ, & Caſus.

CUlpæ, doli, & caſus ſæpius injecta mentio nos monet, ut aliqua de eorum præſtatione dicamus. Præſtare dolum, caſum, aut culpam idem eſt, ac ſarcire damnum dolo, caſu, aut culpa datum. Dolus eſt *calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita* (*e*). Culpa eſt factum inconſultum, quo nocetur alteri. Ea triplex eſt, *lata, levis, leviſſima* (*f*). Culpa lata eſt, non intelligère, quod omnes intelligunt

(a) *l. Cum & ſortis* 35. §. 1. *ff. eod.*
(b) *l. ult. C. de Pignorat. act.*
(c) *l. Si quis* 36. *pr. ff. eod.*
(d) *l. Creditor* 7. *C. eod.*
(e) *l.* 1. §. 2. *ff. de Dol. mal.*
(f) *l. Cum res legata* 47. §. 5. *ff. de Legat.* 1.

gunt (*a*). Ita noctu fores non claudere, jumento pabulum non præbere, poma non vendere, antequam putreſcant, lata culpa continetur (*b*). Iſthæc culpa in contractibus dolo comparatur (*c*). Culpa levis eſt non adhibere eam diligentiam, quam frugi & diligens paterf. ſuis rebus præſtare ſolet (*d*). Si quis itaque ruri canem non alit; ſi, cane multum latrante, non ſurgit, hac culpa tenebitur. Culpa leviſſima eſt ea diligentia non uti, quam diligentiſſimus paterf. ſuis rebus adhibet (*e*). Hanc diligentiam præſtat & qui ferrea pertica januam cladit, & qui ſtabulum adverſus abigeos catena munit. Denique caſus fortuitus eſt vis major, quæ & prævideri nequit, & prævifa non poteſt præcaveri. Huc referuntur ruinæ, naufragia, incendia, latronum, hoſtiumque incurſus, piratarum inſidiæ, & alia id genus.

Jam vero in omnibus contractibus dolus ſemper præſtatur, nec conveniri poteſt, ne præſtetur; hujuſmodi enim pactum invitat homines ad delinquendum, & bonæ fidei judicio contrarium eſt (*f*). Quin infamia punitur in depoſito, ſocietate, mandato, & tutela: fœdior enim fraus eſt, quæ amicitiæ nomine committitur (*g*).

Caſus fortuitus in nullo contractu præſtatur, quia impoſſibilium nulla eſt obligatio. Tantum ſi debitor caſum in ſe recepit (*h*), vel fuit in mora, (*a*) ca.

(a) *l. Cedere* 213. §. 2. *ff. de V. S.*
(b) *l. Mulier* 22. §. 3. *ff. ad SC. Trebell.*
[c] *l. Magna* 226. *ff. de V. S.*
(d) *l. Si vendita* 11. *ff. de Peric. & comm. rei vend.*
(e) *l. In rebus* 18. *pr. ff. Commod.*
(f) *l. Contractus* 23. *ff. de R. I.*
(g) *l. Furti* 6. §. *ult. ff. de His, qui not. infam.*
(h) *d. l.* 23. *de R. I.*

(*a*) caſum præſtare cogitur. Mora autem eſſe videtur, ubi nulla difficultas impediat, quominus res tradatur (*b*). Interdum tamen & caſus præſtatur ob ipſam culpam. Ita ſi tibi ſervum tectorem commodavero, ut de plano opus faceret, & tu in machina eum impoſuiſti, ſi inde delapſus occubuit, mortis damnum ad te pertinere, reſpondit Ulpianus (*c*).

Quod vero ad culpam attinet, ea pro contractuum diverſitate diverſe præſtatur. Nimirum vel contractus ſolius dantis gratia initur, vel ſolius accipientis, vel utriuſque gratia contrahentis. Primo caſu dolus tantum, & lata culpa in judicium venit. Ea tenetur depoſitarius in depoſito. Si vero ſolius accipientis gratia initus eſt contractus, & dolus, & culpa etiam leviſſima præſtabitur. Hoc nomine commodans adverſus commodatarium experitur. Poſtremo ubi in contractu utriuſque verſatur utilitas, dolum, latam, & levem culpam uterque contrahens præſtabit. Ita ſe res habet in pignore, emtione venditione, locatione, conductione, & aliis hujus generis contractibus. Hujuſmodi porro regulas ceſſare placuit, ubi aliud pacti ſint contrahentes; vel etiam ubi certa ratio hunc, vel illum contractum a communibus regulis eximit. Ita negotiorum geſtor leviſſimam præſtabit culpam, quia ſe obtulit (*g*); tutor levis culpæ tenetur, favore pupillorum (*e*); & in precario latam tantum culpam præſtari, reſpondit Ulpianus: precarium enim ex liberalitate deſcendit, ac ſemper revocari poteſt (*f*).

TI-

(a) *l. Ratio* 3. §. 3. *ff. de Act. emt.*
(b) *d. l.* 3. §. 4. *eod.*
(c) *l. Si, ut certo* 5. §. 7. *ff. Commod.*
(d) *l. Si negotia* 11. *ff. de Neg. geſt.*
(e) *l.* 1. *ff. de Tut. & rat. diſtrah.*
(f) *l. Quæſitum eſt* 8. §. 3. *ff. de Precar.*

TITULUS XVI.

De Verborum Obligationibus.

PLures antiquitus fuerunt verborum obligationes. Ejuſmodi erant dotis dictio, & promiſſio jurata a liberto facta (*a*). Sed omnibus potior ſemper, & frequentior fuit ſtipulatio. Ea inventa a JCtis eſt, ut obligationes firmius conſtringerentur (1). Definitur autem, *contractus juris civilis, ſtricti juris, verbis conſtans, quo is, qui interrogatur, daturum, facturumve ſe, quod interrogatur, reſpondet* (*b*). Cum itaque ſtipulatio per interrogationem, & reſponſionem contrahatur, ea, niſi inter præſentes, iniri non poteſt (*c*); neque ex ſtipulatione obligatio contrahitur, niſi congrua, & apta reſponſio interrogationem ſequatur (*d*). Olim quidem ſtipulatio certis verbis ore prolatis actu continuo fieri debebat (*e*). At Leo Imperator ſtipulationes omnes, quibuſcum-que

(a) *Cajus Inſt. II. 9. 2. Ulp. Fragm. VI. 1.*
(b) *pr. h. t.*
[c] *l. 1. pr. ff. de V. O.*
(d) *l. Obligamur 52. §. 2. ff. de O. & A.*
(e) *l. Continuus 137. pr. ff. de V. O.*
(1) Stipulationes aliarum obligationum firmandarum cauſa inventæ plerumque aliis contractibus accedebant. Seneca *de Benefic. III. c. 15. utinam nulla ſtipulatio emtorem venditori obligaret*. Et plerumque ſponſalia, quæ nudo conſenſu contrahuntur, fidei conjugii arctiori vinculo obſtringendæ cauſa, ſtipulationis ſollemnibus firmabantur. *l. Si ſtipulor 35. §. 1. ff. de V. O.* Arnobius adverſus Gentes 4. *Habent ſperatas, habent pactas, habent, interpoſitis ſtipulationibus, ſponſas.*

que verbis conſenſu contrahentium compoſitæ forent, firmitatem ſuam habere juſſit (*a*).

Jam vero ſtipulatio aut pura eſt, aut in diem, aut ſub conditione. Pura ſtipulatio dicitur, quæ ſimpliciter ſine diei, conditionisve adjectione concipitur, puta ſi ſtipuler, centum aureos dari. Puræ ſtipulationis dies ſtatim *cedit*, & *venit* (*b*) (1). Interdum tamen ſtipulatio pura ex re ipſa dilationem capit. Hinc ſi quis Epheſi dari ſtipuletur, cum ſit Romæ, ſtipulationi tacite ineſt tempus, quo Epheſum juſto itinere perveniri poſſit (*c*). Et ſi quis inſulam ædificari ſpopondit, non utique, conquiſitis undique fabris, feſtinare debet; ſed ratio habebitur temporum, atque locorum (*d*).

Stipulatio in diem eſt, quæ fit adjecto die, quo pecunia ſolvatur, puta *Kalendis proximis*. In hac ſtipulatione præſens obligatio inducitur, ſed ſolutio in diem differtur, & ante diem peti non poteſt (*e*) (2). Quod ſane adeo verum eſt, ut, niſi præterito ſolu-

(a) *l. Omnes* 10. *C. de Contrah. ſtipulat.*

(b) §. 2. *h. t.*

(c) *l. Interdum* 73. *pr. ff. de V. O.*

(d) *l. Continuus* 137. §. 3 *ff. eod.*

[e] *l. Centeſimis* 46. *pr. ff. eod.*

(1) Die non adjecto obligationi, præſenti die debetur *l. Eum qui Kalendis* 41. §. 1. *ff. de V. O.* Tullius *Tuſcul. Natura dedit uſuram vitæ tamquam pecuniæ, nulla præſtituta die. Quid eſt igitur, quod querare, ſi repetit, cum vult? ea enim conditione acceperas*.

(2) Licet debitum in diem ante diem peti non poſſit; tamen interdum ex juſta cauſa debitor in diem officio judicis compellitur, ante diem cavere de ſolvenda pecunia, cum dies venerit; puta ſi ex nova cauſa, quæ ſupervenit poſt contractum, lapſus fuerit facultatibus, vel ſuſpectus factus ſit de fuga *l. In omnibus* 41. *ff. de*

lutionis die, neutiquam petere creditori liceat; quia totus dies cedit gratia debitoris. Ita qui hoc anno, vel menſe dari ſibi ſtipulatus eſt, ex ſtipulatu agere nequit, niſi toto anno, vel menſe elapſo (*a*): diei enim adjectionem pro reo, non pro ſtipulatore eſſe, reſpondit Ulpianus (*b*). Ceterum, quod certa die promiſſum eſt, vel ſtatim dari poteſt: totum enim medium tempus ad ſolvendum promiſſori liberum relinqui intelligitur (*c*). Tantum ſi dies ſtipulatoris gratia fuerit adjectus, ante diem fruſtra ſolvitur (*d*).

Interdum tamen tempus adjicitur tamquam terminus *ad quem*, ut, *quoad vivam, dabo*. Atque in hac ſtipulatione obligatio ad tempus contracta ipſo jure perpetua eſt, nec tempore tollitur: tempus enim non eſt modus tollendæ obligationis ſemel conſtitutæ; & ex jure Romano ad tempus deberi non poteſt. Tantum in hac ſpecie ſtipulator pacti conventi, vel doli mali exceptione ſubmovebitur (*e*). Ceterum in eo annua ſtipulatio ab annuo legato differt, quod illa una eſt, ſimplex, ac perpetua; annuum vero legatum plura veluti legata continet; ac primi anni purum, ſequentium autem annorum conditionale legatum erit, *ſi vixerit*. Proinde, mortuo legatario, legatum ad heredem non tranſit (*f*).

Sti-

---

de Judic. Quin ob inopiam debitoris fiſci ex publica utilitate, poteſt illius debitor cogi, pecuniam in diem debitam, repræſentare ante diem *l.* 1. *C. de Condict. ex leg.*

(a) *l. Qui hoc anno* 42. *ff. eod.*
(b) *l. Eum, qui Kalendis* 41. §. 1. *ff. eod.*
[c] *l. Quod certa* 70. *ff. de Solut.*
[d] *l. Qui Romæ* 122. *ff. de V. O.*
(e) *l. Obligationum* 44. §. 1. *ff. de O. & A.*
(f) *l. Si in ſingulos* 4. *ff. de Ann. legat.*

Stipulatio conditionalis eſt, quæ confertur in caſum futurum incertum (*a*). In hac ſtipulatione dies nec cedit, nec venit, niſi extiterit conditio. Id inde factum, quia conditio ſuſpendit obligationem, & ſpem tantum obligationis continet (*b*). Quare ſi conditio defecerit, ſtipulatio nulla contracta intelligetur (*c*). Hinc ſub conditione debitum ſi per errorem fuerit ſolutum, pendente conditione, repeti poteſt (*d*). Atque in hujuſmodi conditionali ſtipulatione ſpes futuræ obligationis ad heredes tranſit; quia exiſtens conditio retrotrahitur ad tempus contractus (1): & contrahentes non ſibi tantum, ſed & heredibus ſuis contrahunt.

Hæc autem ita ſe habent, ſi conditio poſſibilis ſit, & affirmativa: ubi vero conditio fuerit negativa, puta, *ſi Capitolium non aſcenderis*, perinde eſt, ac ſi collata fuerit in tempus mortis (*e*). Itaque in hujuſmodi ſtipulatione: *ſi Alexandriam non ieris, centum dari ſpondes?* committitur ſtipulatio, cum certum fuerit, Alexandriam te ire non poſſe, i.e. poſt mortem promiſſoris. Conditio enim negativa non

(a) §. 4. *h. t.*

(b) *l. Conditionalis* 54. *ff. de V. S.*

(c) *l. Neceſſario* 8. *pr. ff. de Peric. & comm. rei vend.*

(d) *l. Sub conditione* 16. *ff. de Condict. indeb.*

(e) *l. Ita ſtipulatus* 115. §. 1. *ff. de V. O.*

(1) Ita ſi filiusf. ſub conditione ſtipulatus, emancipatus fuerit, deinde extiterit conditio, patri actio competit: in ſtipulationibus enim tempus illud ſpectatur, quo contrahimus *l. Si filius* 78. *ff. de V. O.* Id in legato conditionali ſecus habet: nam ſi legatarius, pendente conditione, deceſſerit, legatum ad heredem non venit *l. Si cum heres* 4. *ff. Quand. dies legat. ced.* Conditio ſiquidem in legatis retro non agitur.

non poteſt ante mortem impleri. Id ſecus ſe habet in hereditatibus, vel legatis, in quibus negativa conditio impletur remedio cautionis Mucianæ, nimirum præſtita ſatisdatione de non faciendo (*a*).

Non ſolum res in ſtipulationem deduci ſolent, ſed etiam facta, dummodo poſſibilia ſint, & honeſta, propria, non aliena (*b*). Ubi factum fuerit promiſſum, promiſſor ad illud implendum compelli poterit. Quod ſi factum non impleverit intra præſtitutum tempus, damnabitur in id, quod intereſt (*c*). Proinde hujuſmodi ſtipulationibus conſultius eſt, pœnam ſubjicere, ut difficilior probatio ejus, quod intereſt, evitetur: quatenus enim cujuſque interſit, in facto conſiſtit (*d*) (1).

TITULUS XVII.

De Duobus reis ſtipulandi, & promittendi.

REi ſunt, quorum de re diſceptatur. *Reos appello non eos modo, qui arguuntur; ſed omnes, quo-*

(a) *l. Mucianæ 7. pr. ff. de Condit. & demonſtrat.*

(b) *l. Impoſſibilium* 185. *ff. de R. I.* §. 3. *Inſt. de Inutil. ſtipulat.*

[c] *l. Quoties* 81. *ff. de V. O.*

(d) *l. Quatenus* 24. *ff. de R. I.*

[1] Effectus autem ſtipulationis pœnalis eſt, quod ex ea committitur pœna, etſi nihil actoris interſit. In pœnalibus enim ſtipulationibus non inſpicitur, quid interſit; ſed quæ ſit quantitas, quæve conditio ſtipulationis *l. Stipulatio iſta* 38. §. 17. *ff. de V. O.* Quare pecunia ad diem ſub pœna promiſſa, ſi debitor ante diem deceſſerit, pœna committitur, licet non ſit hereditas adita *l. Ad diem* 77. *ff. eod.*

quorum de re diſceptatur: ſic enim olim loquebantur, ait Cicero (*a*). *Rei* itaque *ſtipulandi* ſunt creditores ſolidum ab uno debitore ſtipulantes. Alias ſi duobus, pluribuſve res, vel ſumma promittitur, ſinguli pro parte jus ex ſtipulatione adquirunt. *Rei* autem *promittendi* dicuntur debitores ſolidum uni creditori promittentes. Si enim plures promittunt, ſinguli pro parte obligantur (*b*). Quamobrem, ut duo correi ſint ſtipulandi, vel promittendi, requiritur, ut eadem res in ſtipulationem deducatur (*c*), atque ex una eademque cauſa promiſſio fiat (*d*): præterea ſolidum utrique, & ab utroque promitti debet (*e*) & ſtipulationem, ac promiſſionem conjuncta oratione fieri oportet (*f*).

Licet autem duorum promittendi reorum una ſit obligatio (*g*); nihil tamen impedimento eſt, quominus eorum alter pure, alter in diem, vel ſub conditione obligetur (*h*). Correi enim quamvis in aliud fruſtra obligentur, aliter tamen obligari poſſunt: nam ratione rei, vel quantitatis promiſſæ unam eſſe obligationem oportet; at ratione *loci*, *diei*, vel *conditionis* diverſæ eſſe poſſunt obligationes (*i*). Nec enim impedimento erit dies, aut conditio, quominus ab eo, qui pure obligatus eſt, petatur (*k*) (1).

Jam

(a) *Cic. lib. II. de Orat.* 43.
(b) *l. Reos promittendi* 11. §. 1. & 2. *ff. h. t.*
(c) *l. In duobus* 3. §. 1. *ff. eod.*
(d) *l. Eamdem* 9. *pr. ff. eod.*
(e) *l. Reos* 11. §. 1. *ff. eod.*
[f] *l. Duo rei* 4. *ff. eod.*
(g) *l. Cum duo* 2. *ff. eod.*
(h) *l. Ex duobus* 7. *ff. eod.*
(i) *l. Eamdem* §. 1. *ff. eod.*
(k) *d. l.* 7. *ff. eod.*
(1) Diſpar eſt cauſa fidejuſſoris, qui, ſi reus principa-
lis

Jam vero duo correi ſinguli in ſolidum vel agere, vel conveniri poſſunt. Uno autem ex correis convento, & ſatis non faciente, licebit creditori ad alium procedere: non enim unius electione, ſed ſolutione contingit liberatio (*a*). Ceterum ubi ab uno ejuſdem pecuniæ promiſſore facta ſolutio fuerit, tota ſolvitur obligatio (*b*). Et ſi plures ſint rei ſtipulandi, uni ex his ſolvi poteſt, & acceptilatione unius ex correis tota obligatio perimitur (*c*). Illud autem certum eſt, correos debendi, ubi alterna obligatione ſibi fuerint obligati, tamquam fidejuſſores beneficio diviſionis gaudere (*d*).

TITULUS XVIII.

De ſtipulatione ſervorum.

SErvus cum perſonam, ſeu ſtatum non habeat, ex perſona domini ſtipulandi jus mutuatur (*e*). Quidquid itaque ſervus ſtipulatur, domino adquirit (*f*); ſive ſibi, ſive domino, ſive imperſonaliter ſtipuletur (*g*). Si vero ſervus hereditarius ſtipuletur, nondum adita hereditate, hereditati jacenti, ſive futuro heredi ſtipulatur (*h*): jacens enim hereditas domini

---

lis in diem, vel ſub conditione ſit obligatus, pure accipi non poteſt, quia fidejuſſor in duriorem cauſam non obligatur, *l. Fidejuſſor* 16. §. 1. *ff. de Fidejuſſor.*

(a) *l. Reos C. de Fidejuſſor.*

(b) *l. Cum duo* 2. *ff. eod.*

(c) *l. Si rem* §. 1. *ff. de Novat.*

(d) *Nov.* 99. *c.* 1.

(e) *pr. h. t.*

(f) §. 1. *h. t.*

(g) *l. Sive mihi* 15. *ff. eod.*

(h) *l. Servus* 35. *ff. eod.*

mini vicem ſuſtinet (*a*). Quod ſi plures ſint domini, ſingulis pro rata parte ſervus adquirit, niſi unius juſſu, aut uni nominatim, vel ex re unius domini ſervus fuerit ſtipulatus (*b*). Ceterum ſi ſervus factum ſtipulatur, puta, ut ſibi *ire agere liceat*, ſibi, non domino adquirit; facta enim perſonis cohaerent (*c*).

TITULUS XIX.

De Diviſione ſtipulationum.

Stipulationes aliæ ſunt *Judiciales*, aliæ *Prætoriæ*, aliæ *communes*, aliæ *conventionales*. Iſthæc diviſio ex diverſo Prætoris, & Judicis officio proficiſcitur: quaſdam enim cautiones per ſtipulationem præſtandas invitis præſcribebat Prætor in jure ante litem conteſtatam; quaſdam Judex pedaneus in judicio poſt litem conteſtatam; quaſdam uterque pro re nata jubebat.

Judiciales ſtipulationes a mero judicis officio promanant. Ejuſmodi eſt cautio *de perſequendo ſervo*, & cautio *de dolo*. Cautione de perſequendo ſervo heres legatario promittit, ſe ſervum legatum, qui in fuga eſt, ſuis ſumtibus perſecuturum, & vel ſervum, vel pretium reſtituturum (*d*). Cautio vero de dolo exigitur, ubi periculum eſt, ne quid adverſarius dolo in re noſtra agat. Ita poſſeſſor conventus actione in rem, vel *quod metus*, non modo rem reſtituere debet, ſed etiam cavere de dolo, i. e. promittere, dolum malum abeſſe, abfuturumve, ne forte res dolo poſt litem conteſtatam dete-

(a) *l. Mortuo 22. ff. de Fidejuſſor.*
(b) §. 3. *h. t. l. Si ex re* §. 1. *ff. eod.*
(c) §. 2. *h. t.*
(d) *l. Cum ſervus 39. pr. ff. de Legat. 1.*

deterior facta ſit (*a*). Item creditor pignoratitius in reddendo pignore debet de dolo repromittere, i. e. promittere, pignus dolo, vel facto ſuo deterius factum non eſſe (*b*) (1).

Prætoriæ ſtipulationes a mero Prætoris officio deſcendunt, veluti ſtipulatio *damni infecti*, & *legatorum ſervandorum cauſa* (*c*). *Damnum* eſt omnis patrimonii deminutio (*d*). *Damnum* autem *infectum* dicitur, quod nondum factum eſt, ſed futurum timetur (*e*). Itaque cautione damni infecti dominus ædium ruinoſarum cavet vicino, ſi quid ædium ſuarum vitio damnum intra certum tempus contigerit, ſe id reſtituturum (*f*). Hujuſce cautionis formulas habes apud Cujacium (*g*).

Per cautionem legatorum heres, datis fidejuſſoribus, cavet legatario, vel fideicommiſſario ſingulari, cui legatum ſub conditione, vel in diem eſt relictum, ſe, exiſtente conditione, vel veniente die, legatum, vel fideicommiſſum ſoluturum, dolumque malum abfuturum (*h*). Quod ſi dominus vicino, vel heres legatariis cavere nolint, vicinus quidem a Prætore in poſſeſſionem domus ruinoſæ (*i*); legatarii vero in

(a) *l. Metum* 9. §. 7. *ff. Quod met. cauſ.*
(b) *l. Creditor* 15. *ff. de Pignorat. action.*
(c) §. 2. *h. t.*
(d) *l. Damnum* 3. *ff. de Damn. infect.*
(e) *l. Damnum* 2. *ff. eod.*
(f) *l. Prætor ait.* 7. *ff. eod.*
(g) *Paratitl. Digeſtor. de Damn. infect.*
(h) *l.* 1. *pr. ff. Ut legator.*
(i) *l. Si finita* 15. §. 16. *ff. de Damn. infect.*

(1) Formula doli mali eſt apud Gruter. *pag.* 1081. *n.* 1. *Dolum malum abeſſe, abfuturumque eſſe, ſtipulatus eſt Licinius Timotheus: ſpopondit Statia Irene.* Alia habetur apud Cic. *Offic.* III. 17. *uti ne propter te, fidemve tuam captus, fraudatuſve ſiem.*

in poſſeſſionem rerum hereditariarum mittentur (a) (1). Sub hiſce porro ſtipulationibus Ædilitiæ continentur, quæ ab Ædilium jurisdictione veniunt (b). Ita ſane cenſetur ſtipulatio *duplæ*, quam promittit venditor, ſi mancipia, vel aliæ res mobiles, quæ veniere, evincantur (c); aut ſi pecus morboſum ſit, vel vitioſum (d).

Communes ſtipulationes ſunt, quæ tam ex Prætoris, quam ex Judicis officio proficiſcuntur (e). Ejus generis eſt ſtipulatio, *rem pupilli, vel adoleſcentis ſalvam fore*, & cautio *de rato*. Illa a tutoribus legitimis, vel ſine inquiſitione datis, & a curatoribus interponitur vel apud Judicem, ſi poſt litem conteſtatam appareat, ſatisdatum non eſſe; vel juſſu Prætoris apud ipſius ſcribam (f). Nonnumquam enim a Prætore, re urgente, apparitori, vel actuario ea mandantur, quæ aliquam habent admixtam cauſæ cognitionem (g). Cautionem *de rato*, i. e. rem ratam haberi, præſtat procurator, qui mandato ſufficienti non eſt inſtructus, eaque cavet, dominum, rem ratam habiturum (h).

Denique conventionales ſtipulationes dicuntur, quæ

(a) *l. Is cui* 5. *ff. Ut in poſſeſſ. legat.*
(b) *l. Stipulationum* 6. *ff. de V. O.*
(c) *l. Quod ſi nolit* 31. §. 20. *ff. de Ædilit. edict.*
(d) *Cujac. Obſerv. IX*, 3.
(e) §. *ult. h. t.*
(f) *l. ult. C. de Magiſtrat. conven.*
(g) *l. ult. ff. de Judic.*
(h) *l. Quo enim* 12. §. 1. *ff. Rem rat. hab.*

(1) Etiam heres, cui ſubſtitutus datus eſt, tenetur ſubſtituto cavere de ſervanda, & reſtituenda fideicommiſſaria hereditate. *l. Inter omnes* 12. *ff. Qui ſatiſd.* Itidem cavent legatarii heredi, ubi metus ſit, ne plus, quam per Falcidiam licet, legatum ſit *l.* 1. *pr. ff. Si cui plus &c.*

quæ ex contrahentium conventione fiunt (*a*). Earum totidem ſunt genera, quot rerum contrahendarum. Neque enim ad pacta tantum firmanda, ſed omnibus etiam contractibus rei ſanciendæ, & firmandæ cauſa ſtipulatio ſubjiciebatur (*b*); ut non immerito *pandecten*, & *vinculum vinculorum* eam appellet Cujacius.

TITULUS XX.

De Inutilibus ſtipulationibus.

INutilis eſt ſtipulatio, quæ jure civili nullum effectum habet. Stipulatio autem inutilis eſt vel ratione rei, aut facti in ſtipulationem deducti; vel ratione formæ, ſeu modi, quo contrahitur.

Ratione rei inutilis eſt ſtipulatio, ubi quis rem ſtipuletur, quæ nec eſt, nec eſſe poteſt in rerum natura, uti Stichum mortuum, quem contrahentes vivere putabant, aut hippocentaurum, qui per rerum naturam eſſe nequit; cujus quidem rei nec pœna, nec æſtimatio debetur (*c*). At utilis eſt ſtipulatio, ubi quis fructus futuros ſtipuletur, quia per rerum naturam eſſe poſſunt (*d*). Itidem in ſtipulationem deduci non poſſunt res extra commercium poſitae, i. e. quae emi, vendi, vel permutari non poſſunt, veluti res ſacræ, religioſæ, ſanctæ, liberi homines (*e*). Hujuſmodi autem ſtipulationes inutiles erunt, dummodo res extra commercium ſint ſaltem ſtipulatoris: ſecus autem ſe res habet, ſi quis rem promittat, cujus

(a) §. 3. *h. t.*
(b) *l. Ratio 3. §. 1. ff. de Action. emt. & vend.*
(c) *l. Si homo 69. ff. de V. O.*
(d) *l. Interdum 73. pr. ff. eod.*
(e) *l. Inter 83. §. 5. ff. eod.*

Digitized by Google

cujus ipſe commercium non habet (*a*). Præterea nec rem noſtram pure ſtipulari poſſumus, quia quod ſemel noſtrum eſt, amplius noſtrum fieri non poteſt (*b*); nec rem alienam in eum caſum, quo noſtra futura eſt (*c*): ſtipulatio enim non poteſt conferri in eum caſum, a quo incipere nequit. Poſtremo & fruſtra quis rem incertam ſtipulatur, ut genus logicum, animal, triticum, vinum (*d*).

Ratione autem facti inutilis eſt ſtipulatio, ſi quis factum alienum promiſerit, puta, Titium *daturum*, vel *facturum*; quia nec ſe obligavit, nec Titium obligare potuit (*e*). Si vero pœna fuerit in ſtipulatione adjecta, promiſſor tenetur de pœna, ubi per Titium factum non præſtabitur (*f*). At ſi quis promiſerit ſe *curaturum*, vel *effecturum*, ut Titius decem daret, is quidem effectum praeſtare debet (*g*) (1). Item fruſtra in ſtipulationem deducitur factum impoſſibile, ſeu natura tale ſit, ut digito cælum tangam; ſeu moribus, ut hominem occidam: impoſſibilium enim nullam eſſe obligationem, Celſus reſpondit (*h*).

At

(a) *l. Multum intereſt ff. eod.*
(b) *Si rem meam* 31. *ff. eod.*
(c) *l. Nemo* 8[illegible]. *ff. eod.*
(d) *l. Triticum* 94. *l. Qui inſulam* 95. *ff. eod.*
(e) *l. Inter ſtipulantem* 83. *ff. eod.*
(f) *l. Stipulatio iſta* 38. §. 2. *ff. eod.*
(g) §. 3. *h. t.*
(h) *l. Impoſſibilium* 85. *ff. de R. J.*
(1) Qui alium judicio ſiſti promiſit, etiam nulla adjecta pœna, tenetur in id, quod intereſt; nam qui alium ſiſti promittit, hoc promittit, ſe curaturum, ut alius ſe ſiſtat. *l. Stipulatio iſta* 38. §. 24. *l. Aliquoties* 18. *ff. de V. O.* Sed plerumque his ſtipulationibus pœna ſubjici ſolet. *l. Sancimus C. de Fidejuſſ.*

At ratione contrahentium ſtipulatio inutilis cenſetur inter mutum, ac ſurdum; mutus enim non poteſt proferre verba ſtipulationis, nec ſurdus audire (1). Eadem ratione inter abſentes ſtipulatio non contrahitur; quia verba ſunt præſentiam, epiſtolæ & nuncii abſentium (*a*). Nec valet promiſſio a furioſo facta, vel prodigo, cui bonis interdictum; furioſus enim non intelligit, quod agit (*b*); & prodigus habetur pro furioſo. Nihil tamen prohibet, quominus prodigus ſtipulando ſibi adquirat (*c*). Quin & pupillus qui ſine tutore auctore recte ſibi ſtipulatur, fruſtra promittit ſine tutoris auctoritate (2). Poſtremo inutilis ſtipulatio erit, ubi quis alteri non ſibi ſtipuletur, niſi ſua interſit ei dari, cui eſt ſtipulatus; veluti ſi tutor a contutoribus ſuis pupillo, vel debitor creditori ſuo, aut quis ſuo procuratori ab altero ſtipuletur (*d*). At ſi quis ſtipuletur, ſibi, aut Titio dari, etiam ipſo ſtipulante invito, recte Titio

---

(a) *l. 1. pr. ff. de V. O.*

(b) *l. 1. §. 12. ff. de O. & A.*

(c) *l. Is, cui bonis 6. ff. de V. O.*

(d) *l. Stipulatio 38. §. 20. ff. eod.*

(1) Nec obſtat *l. Ea quæ 57. ff. de Donat. int. vir. & uxor.*, ubi ſtipulatio contrahitur per epiſtolam; id enim non debet intelligi de epiſtola, quæ ſcriptitari ſolet inter abſentes; ſed de ea, quæ cautionis vice fieri ſolebat inter præſentes *l. Titia* 134. §. 2. *ff. de V. O.*

(2) Pupillos autem naturaliter obligari, certi juris eſt. Quod ſi JCti pupillos nec naturaliter obligari pronunciaverint, id quidem de civili effectu intelligi debet, uti in *l. Pupillus* 59. *ff. de O. & A.* Interdum vero pupillus & civiliter obligatur, nim. ubi ex re venit obligatio *l. Furioſus 46. ff. eod.* vel ubi ex contractu factus ſit locupletior *l. Naturalem* 13. §. 1. *ff. de Condict. indeb.*

tio ſolvi poteſt, & promiſſor, facta ſolutione, ipſo jure liberatur (*a*). Ceterum in hac ſpecie Titio ſolutionis cauſa adjecto non adquiritur obligatio, nec actio; ſi vero debitor ei ſolverit, liberatur (*b*). Itaque adjectus ſolutionis cauſa non poteſt petere, nec novare, nec acceptum facere, nec accipere fidejuſſorem (*c*). Quod vero diximus Titio recte ſolvi poſſe, id quidem poſt litem a ſtipulante conteſtatam locum non habet (*d*). Denique ubi quis decem *ſibi*, *&* *Maevio* conjunctive ſtipuletur, pro parte tantum utilis ſtipulatio erit, & ſola quinque petere poterit; pars enim deficientis alteri non adcreſcit: ſiquidem ubi cauſa limitata eſt, ceſſat jus adcreſcendi (*e*). Tantum ſi res ſit individua, uti Stichus, tota debetur (*f*).

Poſtremo ratione formae, ſeu modi inutilis habetur ſtipulatio, ſi contrahentes diſſentiant vel in re ipſa, vel in quantitate. Quare ſi quis ſtipulanti decem quinque reſpondeat, & ſtipulanti quinque reſpondeat decem, obligatio non contrahitur, niſi in quinque; quia ſemper in ſummis id, quod minus eſt, ſponderi videtur, & utile per inutile non vitiatur. Eodem ſane pacto ſi ex pluribus rebus in ſtipulationem deductis unam ſe daturum promiſſor ſpoponderit, de ea una re tenebitur: videtur enim ad unam ex duabus ſtipulationibus reſpondiſſe (*g*) (1).

Prae-

(a) §. 4. *h. t.*
(b) *l. Si ita ſtipulatus* 59. *ff. de Solut.*
(c) *l. Quod ſtipulatus* 10. *ff. eod. l. Si mihi, aut Titio* 23. *ff. de Fidejuſſ.*
(d) *l. Si quis ſtipulatus* 57. §. 1. *ff. de Solut.*
(e) *l. Lucius* 78 §. 10. *ff. ad SC. Trebell.*
(f) *l. Eum, qui* 56. §. 7. *ff. de V. O.*
(g) *l. Inter ſtipulantem* 83. §. 3. *&* 4. *ff. eod.*
(1) Quod igitur ait Juſtinianus in §. 5. *h. t.* eam ſtipulationem, qua quis decem aureos interrogatus, quinque

Præterea ipſius ratione formæ inutilem ſtipulatio-nem dixere veteres, ubi congrue ad interrogationem non reſpondeatur, & ubi impoſſibilis affirmativa conditio ſtipulationi adjecta ſit, vel promiſſum ex turpi cauſa fuerit, veluti ſacrilegii faciendi gratia (*a*)(1). Ceterum ſtipulatio, uti legatum, jure veteri poſt mortem ſtipulatoris, aut promiſſoris conferri non poterat; actio enim, quæ non cœperat a defuncto, non poterat incipere ab herede, nec contra heredem. At jure Juſtinianeo ſtipulationes poſt mortem conferri poſſunt: eæ enim, ſublatis ſollemnibus, ſolo conſenſu valent; & actiones ab herede, & contra heredem incipere poſſunt (*c*). Stipulatio vero in tempus mortis collata, puta, *cum moriar*, vel *cum morieris*, utilis eſt; quia tempus moriendi vitæ magis, quam morti deputatur (*c*)(2). Iſt-

que promiſit, vel contra, inutilem eſſe, non de eo, quod plus, minuſve eſt, intelligi debet, ut nonnullis in mentem venit, ſed Triboniani ſupinitati eſt adſcribendum. Is quidem Cajum ſuum ſecutus, illius ſententiam ex *lib. Inſtit. II. tit. 9. §. 10.* in Imperatorias inſtitutiones tranſtulit, oblitus eorum, quæ in Pandectas ex Ulpiano, & Paulo conjecerat.

(a) *l. Impoſſibilis 7. l. Generaliter 26. ff. de V. O.*

(b) *l. Scrupuloſam II. C. de Contrah. & committ. ſtipul. l. Un. C. ut act. & ab hered.*

(c) §. 15. *h. t.*

(1) Quod ex turpi cauſa promiſſum, peti non poteſt, & ſtipulator vel exceptione doli mali, vel in factum ſubmovebitur. Solutum vero non repetitur, ſi aut ſolius dantis, vel dantis & accipientis turpitudo verſatur; veluti ſi pecunia data ſit, ut male judicetur. Id inde factum, quia in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis *l. Ubi autem 3. l. Si ob turpem 8. ff. de Condict. ob turp. cauſ.*

(2) Apud veteres philoſophos diſputatum fuit, utrum mor-

Iſthæc autem ſtipulatio, *cum morieris, dabis?* committitur morte naturali, non civili (*a*).

Huc etiam referri poſſunt præpoſteræ ſtipulationes, cujuſmodi illa eſt: *ſi navis cras ex Aſia venerit, hodie dare ſpondes?* in qua ſane obligatio committitur ante conditionis adventum. Hujuſmodi ſtipulationes inutiles cenſebantur olim; ſed Juſtinianus illas valere generatim juſſit; ita tamen, ut exactio differretur poſt diem, vel conditionem (*b*).

TITULUS XXI.

De Fidejuſſoribus.

Fidejuſſor eſt, qui accedit alienæ obligationi, eamque fide, ac periculo ſuo eſſe jubet, ita quidem, ut debitor principalis maneat obligatus. Hinc fidejuſſor ab *expromiſſore* differt, qui novatione facta alienam obligationem in ſe recipit, &, liberato reo, priore, ſolus convenitur (*c*). Fidejuſſor autem ideo accipitur, ut magis creditori ſit cautum (*d*). Antiquitus quidem fidejuſſio per ſtipulationem fiebat; eaque de cauſa a conſtituta pecunia, quæ pacto initur differebat (*e*): at hodie ex ſimplicitate juris Gentium fit nudo pacto, & inter abſentes, & ſufficit, creditori roganti manum præbuiſſe.

Jam vero fidejuſſor omni obligationi accedere poteſt

mortis momentum morti magis, quam vitæ foret tribuendum. *Vid. Gell. N. A. VI.* 13. & *Cujac. Obſerv. III.* 34.

(a) *l. Ex ea parte* 121 §. 2. *ff. de V. O.*

(b) *l. Præpoſteri* 25. C. *de Teſtam.*

(c) *l. ult. ff. de SC. Macedon.*

(d) *pr. h. t.*

(e) *l.* 1. §. 4. *ff. de Pec. conſt.*

teſt civili, ac naturali (a). Fidejuſſor autem pro eo, qui naturaliter tantum obligatus eſt, ſi accipiatur, etſi debitor principalis ex ea obligatione conveniri nequeat, ipſe utiliter obligatur (1). Quin, minore reſtituto ætatis beneficio, fidejuſſorem ex perſona ſua contractui obnoxium eſſe, reſcripſerunt Imperatores (b). Illud etiam certum eſt, fidejuſſorem recte accedere obligationibus ex delicto manantibus (c); modo delicti pœna pecuniaria ſit, non corporalis; publice enim intereſt, ut pœnæ ſuos teneant auctores (d). Poſtremo & in ipſis cauſis criminalibus fidejuſſor accipi poteſt. Id porro ſi fuerit factum, fidejuſſor, niſi reum exhibeat, pœna pecuniaria plectetur: quod ſi dolo malo non exhibuerit, eum extra ordinem damnandum, cenſuit Ulpianus.

Cum autem fidejuſſio ſit principalis obligationis acceſſio, in duriorem cauſam fidejuſſor accipi nequit. Durior cauſa eſſe poteſt tempore, loco, re ipſa. *Tempore* durior cauſa eſt, ſi fidejuſſor ſtatim ſe daturum promittat, cum reus principalis poſt certum tempus ſe ſoluturum ſpoponderit. *Loco* durior cauſa intelligitur, ubi fidejuſſor ſe ſoluturum promittat in loco, quo pecunia aſportari difficillime poſſit, dum reus principalis in loco, quo facilius transferri pecunia

(a) §. 1. *h. t.*
(b) *l. Si ea* 2. *C. de Fidejuſſ. minor.*
(c) *l. Græce* 8. §. 5. *ff. h. t.*
(d) *l. Crimen.* 26. *ff. de Pœn.*

(1) Tantum fidejuſſor pro dotis ſecuritate ex jure Romano accipi non poteſt. Id ita placuit, quia abſurdum videbatur, ut uxor fidem alterius magis, quam mariti ſequeretur, cui animum, corpus, & omnem vitam crediderat *l.* 1. & 2. *C. Ne fidejuſſ. vel Mandat. dot. dent.* Sed in Europa paſſim dotis ſervandæ cauſa a maritis fidejuſſores recte accipiuntur.

tunia queat, ſe ſoluturum promiſerit. Denique *re ipſa* durior cauſa videtur, ſi, reo principali ſub conditione obligato, fidejuſſor pure accipiatur (*a*). Qui autem in duriorem cauſam obligari non poteſt, efficacius obligari non prohibetur. Ita ſane per hypothecæ vinculum fidejuſſor recte ſe obligat, licet reus principalis nullam promiſerit hypothecam. Quin & illud explorati juris eſt, fidejuſſorem in leviorem cauſam recte obligari: quapropter reo principali pure obligato, fidejuſſor in diem, vel ſub conditioner recte accipitur (*b*).

Illud porro apud JCtos diſputatum fuit, utrum fidejuſſor ultra ſummam a reo principali debitam acceptus omnino non obligetur, an obligetur uſque ad concurrentes quantitates? Sane Ulpianus fidejuſſorem in duriorem cauſam acceptum *omnino non obligari*, reſpondit (*c*). Verum cum in ſtipulationibus, ſi ſtipulanti decem, viginti reſpondeas, ſtipulatio valeat uſque ad decem (*d*); proinde ubi fidejuſſor in majorem ſummam accipiatur, quam reus principalis ſit obligatus, obligatio locum habebit uſque ad ſummas revera debitas. Ulpiani autem locus legi debet *non omnino* ſecundum Haloandri lectionem i. e. non omni ex parte (*e*).

Jam vero fidejuſſor ſimpliciter acceptus non tenetur in uſuras; quæ non ex obligatione, ſed ex mora rei accedunt (*f*). Tantum ſi in omnem cauſam fuerit fidejuſſor acceptus, ad uſuras etiam tenebitur ex mora rei. Ita fidejuſſores a colonis in cauſam loca-

(a) §. 5. *h. t.*
(b) *l. Græce* 8. §. 7. *ff. eod.*
(c) *d. l. Græcè d. ff.* 7. *eod.*
(d) *l.* 1. §. 4. *ff. de V. O.*
(e) *Mynſinger. ad* §. 5. *Inſt. h. t.*
(f) *l. Fidejuſſor* 10. *C. h. t.*

locationis datos etiam ob pecuniam dotis prædiorum, i. e. ob æſtimationem inſtrumenti teneri, reſpondit Papinianus: locationis enim vinculum, eam quoque ſpeciem ad ſe trahit (*a*).

Ubi autem fidejuſſor pro reo principali ſolverit, datur ei actio mandati adverſum illum, ſoluti repetendi cauſa (*b*); etſi ultro, & ſine judicio ſolverit (*c*). Quin eadem actione fidejuſſor non modo ſortem & uſuras repetit; ſed etiam uſuras uſurarum: uſuræ enim ei debentur tamquam ſors, non tamquam uſuræ (*d*); & actio mandati datur in id, quod intereſt (*e*). Fidejuſſor autem antequam creditori ſolvat pro reo principali, mandati actione adverſus eum agere non poteſt, ut liberetur. Tantum ſi diu in ſolutione reus ceſſaverit, aut ad inopiam vergat, & bonis labatur, fidejuſſor liberari petens audietur (*f*).

Cum fidejuſſorum cautio ſatis periculoſa ſit ſecundum Thaletis illud: *ſponde, noxa præſto eſt* (*g*), fidejuſſoribus tria prodita ſunt beneficia, *ordinis*, *diviſionis*, *& cedendarum actionum*. Beneficium *ordinis*, ſeu *excuſſionis* eſt privilegium, quo oppoſito, creditor non poteſt, niſi excuſſo principali debitore, fidejuſſorem convenire. Hujuſmodi privilegium, quod jure veteri apud Romanos obtinuit, teſte Tullio (*h*), jure Pandectarum, & Codicis in deſuetudinem abiit. Verum Juſtinianus illud ad lites minuen-

(a) *l. Amiſſi* 52. §. 2. *ff. eod.*
(b) *l. Si remunerandi* 6. §. 2. *ff. Mandat.*
(c) *l. Idemque* 10. §. 11. *ff. eod.*
(d) *l. Si vero* 12. §. 9. *ff. eod.*
(e) *l. Si procuratorem* 8. §. 6. *ff. eod.*
(f) *l. Lucius* 38. *ff. eod. l. Fidejuſſor.* 45. *ff. h. t.*
(g) *Diog. Laërt. l.* 1.
(h) *Cic. ad Attic. XII. ep.* 15. *lib. XVI. ep.* 14.

nuendas revocavit (*a*). *Ordinis* autem beneficium ceſſat, ſi debitor latitet, vel non ſolvendo ſit, vel fidejuſſor expreſſe ipſi renunciarit. Idem ceſſare tradunt Doctores in fidejuſſoribus mercatorum: quod fortaſſe favore commercii receptum (*b*).

Beneficio diviſionis oppoſito, ſinguli confidejuſſores non in ſolidum, ſed pro rata quiſque parte convenitur. Hoc beneficium, quod ex epiſtola D. Hadriani deſcendit, non ipſo jure prodeſt, ſed oppoſita exceptione. Quare ſi quis ea exceptione ante ſententiam non utatur, in ſolidum condemnabitur (*c*). Quod autem diximus, locum habet, ubi omnes confidejuſſores ſolvendo ſint tempore litis conteſtatæ. Si enim vel aliquis non ſit ſolvendo, vel non poſſit conveniri, hujus inopia, & abſentia ceteros confidejuſſores onerat (*d*). Præterea ubi quis cum muliere fidejuſſit, adverſus eum in ſolidum actio dabitur: ſcire enim potuit, aut non ignorare debuit fidejuſſor, mulierem fruſtra intercedere (*e*). Quin ſi plures fidejuſſores a tutore pupillo dati ſint, ſi conveniantur, diviſionis beneficium opponere non poſſunt: pupillo enim, qui in tutorem incidit agente, beneficium dividendæ actionis injuriam habere viſum eſt; ne ex una tutelæ cauſa plures, ac variæ quæſtiones apud diverſos judices conſtituantur (*f*). Itidem reo promittendi, ſi fidejuſſori ſuo heres extitit, exceptione, quæ fidejuſſori competebat, uti non licet, obligatione fidejuſſoria perempta, ut ait Julianus (*g*). Poſtremo ceſſat

(a) *Nov. IV. cap.* 1.
(b) *Stryk. Jur. modern. Pandect, XLVI. t.* 1. §. 21.
(c) *l. Fidejuſſor* 10. §. 1. *C. h. t.*
(d) *l. Non recte* 3. *C. eod.*
(e) *l. Si Titius* 48. *pr. ff. eod.*
(f) *l. ult. ff. Rem pup. ſalv. for.*
(g) *l. Cum reus* 14. *ff. h. t.*

ceſſat beneficium diviſionis, ubi in fidejubendo ei fuerit renunciatum: nemini enim licet adverſus pacta ſua venire, & contrahentes decipere (a).

Per beneficium cedendarum actionum, qui ex fidejuſſoribus totum ſolvere paratus eſt, a creditore petit, ut actionibus ſuis ipſi cedat adverſus confidejuſſores, & reum principalem. Sane ſi unus ex fidejuſſoribus in ſolidum conventus exceptione epiſtolæ Hadriani uſus non ſit, & ſolidum ſolverit, actionem adverſus confidejuſſores non habet, quia ſolutione extinguitur obligatio. At ſi fidejuſſor petat, ut creditor actionibus ſuis ſibi cedat, ceſſis actionibus adverſus confidejuſſores, & reum principalem uti poterit (b). Illud vero certi juris eſt, non poſſe fidejuſſorem prius ad ſolutionem urgeri, quam ceſſæ ipſi a creditore fuerint actiones (c). Sed hodie ex æquitate receptum, ut, non ceſſis actionibus, fidejuſſor adverſus confidejuſſores experiatur utili negotiorum geſtorum actione. Ceterum ubi fidejuſſor pro reo principali quid ſolvit, ejus recuperandi cauſa habebit mandati actionem (d).

TITULUS XXII.

De Litterarum Obligationibus.

Litteralis obligatio ex ipſa ſcriptura ſubſtantiam ſuam agnoſcit. Hujuſmodi contractus duplex eſt in jure Romano; vetus ſcilicet, & novus. De veteri ita Imperator heic: *olim ſcriptura fiebat obligatio, quæ nominibus fieri dicebatur, quæ nomina hodie non*

(a) *l. Si quis* 29. *C. de Pact.*
(b) *l. Cum alter* 11. *C. eod.*
(c) *l. Sicut* 21. *C. eod.*
(d) §. *6. h. t.*

non ſunt in uſu. Hunc contractum Cicero *non verbis*, *ſed nominibus*, *perſcriptionibus*, *&* *tabulis conſtare ait* (*a*). In Pandectis nullum hujus contractus veſtigium reliquit Tribonianus, fortaſſe ne cum nova litterarum obligatione confunderetur.

Vetus litterarum obligatio nominibus fiebat, creditoris ſcilicet, & debitoris. Debitor in syngrapha, vel in ſuo, & creditoris kalendario; & tabulis *expenſi* nomen ſuum ſcribebat, ac ſimul ad ejuſmodi ſtipulationem ſcriptam: *quæ mihi Sempronio debes ex mutuo, promittis ne his litteris, te redditurum intra Kal. Jan.?* verbis ſollemnibus reſpondebat: *Ego Titius ſcripſi*, *&* *promiſi*. Inde phraſes: *nomen contrahere*, *facere* (1). Nova autem litterarum obligatio eſt *ſcriptura*, *qua debitor ſpe futuræ numerationis ſcripſit*, *ſe accepiſſe pecuniam*, *quam revera non accepit* (*b*). Ex hac ſcriptura debitor obligatur; ſi intra biennium ſe non defenderit vel per exceptionem non numeratæ pecuniæ, vel per chirographi condictionem, vel per proteſtationem apud judicem factam de pecunia ſibi non numerata. *Exceptio non numeratæ pecuniæ* peremtoria eſt, & opponitur ab eo, qui ſpe futuræ numerationis ſcripſit, ſe pecuniam redditurum, adverſus eum, qui ex illa ſcriptura pecuniam repetit; quam non numeravit. Hujuſmodi exceptio olim annalis fuit: eam Diocletianus quinquennalem fecit. Sed Juſtinianus non numeratæ pecuniæ exceptionem intra ſolum

(a) *Cic. ad Att. IV. ep. ult.*

(b) *pr. h. t.*

(1) Hinc Corn. Nepos in Attic. *pecuniam ſine ſtipulatione credidit c.* 13. Et Quintilianus *l. IV. c.* 2. *Certam pecuniam creditam peto ex ſtipulatione. Vid. l. ult. ff. Mandat.*

Google

lum biennium continuum coërcuit (*a*); ne creditores diutius pecunia ſua fraudarentur. Elapſo biennio, exceptio a debitore fruſtra opponitur. Tantum per doli exceptionem ſe tueri debitor poterit, ubi probationem in ſe ſuſcipere velit. Exceptione enim non numeratæ pecuniæ oppoſita, onus probandi tranſit in creditorem; quia facti negatio per rerum naturam probari nequit (*b*).

Quamvis autem intra biennium liceat debitori exceptionem non numeratæ pecuniæ opponere, ſunt tamen quædam ſpecies, in quibus iſthæc exceptio ei denegatur. Ita exceptio non numeratæ pecuniæ non opponitur in depoſito, neque in apochis publicorum tributorum, nec in ſcripta receptoria cautione de dote (*c*). Quin fruſtra etiam exceptio iſthæc opponitur ſi pecunia ex præcedente cauſa debita redacta fuerit in chirographum (*d*); ac ſi pars debiti, aut ejus uſuræ fuerint debitore ſolutæ (*e*). Poſtremo hæc exceptio opponi non poteſt argentariis, ſi inſtrumento publico, vel chirographo cautum ſit, eis deberi: rationes enim argentariorum fidem faciunt (*f*). Tantum jusjurandum argentario deferre intra biennium debitor non prohibetur (*g*).

Porro intra tempus exceptioni non numeratæ pecuniæ præſtitutum duo alia remedia debitori dantur, quibus ſe tueri queat. Poteſt enim debitor a creditore petere chirographum ſuum, poſt cujus traditionem pecunia non fuerit numerata: atque in hac ſpecie ute-

(a) *l. In contractibus* 14. *C. de N. N. P.*
(b) *l. Aſſeveratio* 10. *C. eod.*
(c) *d. l. In contractibus* 14. §. 1. *C. eod.*
(d) *l. Adverſus* 5. *l. Generaliter* 13. *C. eod.*
(e) *l. Cum fidem* 4. *C. eod.*
(f) *l Argentarius* §. 1. *ff. de Edend.*
(g) *Nov.* 136. *cap. ult.*

utetur *condictione cauſa data, cauſa non ſequuta* (a). Si id remedium ei non placuerit, experiri intra ipſum biennium poterit *proteſtatione non numeratæ pecuniæ* (b), qua apud competentem judicem proteſtabitur, ſibi pecuniam non eſſe numeratam. Id ideo receptum, ne lapſus temporis debitori noceat.

TITULUS XXIII.

De Obligationibus ex conſenſu.

Licet in omnibus contractibus conſenſus neceſſarius ſit (c); tamen nonnulli ſolo conſenſu perfici dicuntur, quia neque ſcripturam, neque ſollemnia ſtipulationis, neque rei traditionem deſiderant. Porro inter contractus, quos ſolo conſenſu iniri placuit, numerantur Emtio, venditio, Locatio, conductio, Emphyteuſis, Societas, & Mandatum. In his contractibus alter alteri obligatur: ſunt enim ultro citroque obligatorii, ipſique proprie *contractus* dici ſolent (d). Ceterum cum hæ obligationes ſimpliciſſimæ ſint, & mere juris gentium, poſſunt quovis modo, etiam inter abſentes contrahi, & ſolo nutu iniri (e).

TI-

(a) *l. Si quaſi* 7. *C. de N. N. P.*
(b) *l. In contractibus* 14. §. 4. *C. eod.*
(c) *l.* 1. *ff. de Pact.*
(d) *l. Labeo* 19. *ff. de V. S.*
(e) *l. Obligamur* 52. §. *ult. ff. de O. & A.*

TITULUS XXIV.

De Emtione, Venditione.

EMtio venditio eſt *contractus juris gentium conſenſu conſtans, de re pro certo pretio adquirenda.* Tria itaque in emtione requiruntur, conſenſus, res, & pretium. Sine conſenſu quidem nulla eſt emtio. Conſenſus autem ubi ſemel a contrahentibus fuerit præſtitus, ſtatim emptio venditio perfecta intelligitur. Tantum ſi inter contrahentes convenerit, ut contractus in ſcriptis celebretur, non perficitur contractus prius, quam ſcriptura ſit abſoluta, & emtionale inſtrumentum ab utroque contrahentium fuerit ſubſcriptum. Quod ſi vero nihil ab initio de ſcriptura convenerit, &, contractu perfecto, placuerit, in ſcripturam redigi, ea ſcriptura non ad contractus perfectionem, ſed ad probationem rei geſtæ pertinebit (*a*). Non enim inſtrumentis res geri: ſed in ipſa rei geſtæ teſtimonium conferri, reſcripſerunt Imperatores (*b*). Ceterum licet exploratum ſit, contractu nondum perfecto, licere contrahentibus ab eo recedere; tamen ſi arrhæ datæ fuerint, & velit emtor ab emtione diſcedere, arrhas amittet; ſi autem venditor contractum implere recuſet, in duplum eas reddere cogetur (*c*). Id porro ita ſe habet, ubi arrhæ argumentum ſint contrahendæ emtionis: quod ſi eæ pignus fuerint emtionis perfectæ conſummandæ, &, ut ait Varro, *nota reliqui reddendi* (*d*), pœnitentiam omnem excludunt.

Jam

(a) *l. Cum te* 5. *C. de Tranſact.*
(b) *l. Cum res* 12. *C. de Probat.*
(c) *l. Contractus* 17. *C. de Fid. inſtrum.*
(d) *Varro lib. IV. de L. L.*

Jam vero conſenſui nihil eſt tam contrarium, quam dolus, vis, metus, & error. Et dolus quidem ſi cauſam contractui dederit, emtio ipſo jure nulla eſt. Ita ſi quis mentitur, imaginem eſſe avi mei, quo eam emam, quam alias non emiſſem, emtio nulla ipſo jure habetur. Ubi vero venditor dolo fecit, ut rem pluris venderet, puta de artificio mentitus eſt, emptio quidem ipſo jure valet, ſed emti eum judicio teneri, reſpondit Ulpianus, ut præſtet emtori, quanto pluris ſervum emit, quem eo artificio inſtructum ipſe obtruſit (*a*). Quod vero ad vim, metumque attinet, invitus nemo comparare, vel diſtrahere compellitur (*b*). Si porro per vim fuerit emtio peracta, irritam eam eſſe, reſcripſit Alexander (*c*): voluntati enim nihil eſt contrarium magis, quam vis, & metus (*d*). Tantum ſi utilitas publica flagitet, poteſt quis per vim ad emendum compelli. Ita tempore obſidionis, vel peſtis imminentis cives cogi poſſunt, ut annonam coëmant (*e*). Denique de errore illud exploratum eſt, emtionem nullam eſſe, ſi erratum ſit in *corpore*, *ſexu*, vel *tota materia*. Quare ſi ego me fundum emere putarem Cornelianum, tu mihi te vendere Sempronianum putaſti, emtionem nullam eſſe, reſpondit Ulpianus (*f*). Item ſi ego virginem venderem, tu puerum emere exiſtimaſti, eodem Ulpiano auctore, nulla emtio, nulla venditio erit (*g*). Et ſi æs pro auro veneat, ex juris Romani

(a) *l. Julianus* 13. §. 4. *ff. de Action. emt.*
(b) *l. Invitum* 11. *C. de Contrah. emt.*
(c) *l.* 1. *C. de Reſcind. vendit.*
(d) *l. Nihil* 116. *ff. de R. I.*
(e) *Vid. Bynkershoëk. Quæſt. jur. publ. l.* II. *c.* 15.
(f) *l. In venditionibus* 9. *pr. ff. de Contrah. emt.*
(g) *l. Alioquin* 11. *ff. eod.*

ni regulis, venditio non valebit (*a*). Quod ſi vero erratum circa *qualitates* fuerit, error, ſalvo contractu, corrigetur, quatenus res minoris æſtimabitur. Ita ſi veſtimenta interpola ignorans quis pro novis emerit, emtori præſtandum, quod intereſt, ex Labeonis, & Trebatii ſententia, cenſuit Marcianus (*b*).

Porro ſine re, ſeu merce venditio non intelligitur. Res autem omnes ſeu corporales, ſeu incorporales; ſeu exiſtant, ſeu exiſtere poſſint, recte venduntur. Proinde & fructus naſcituri, & ipſa ſpes, veluti jactus retium, captura avium, vel miſſilium emi poſſunt (*c*). Tantum res certas eſſe oportet, ſive in genere per averſionem, ſive in ſpecie vendantur (1). Res autem quæ emi vendi poſſunt, in commercio eſſe debent. Rerum enim extra commercium poſitarum nulla eſt venditio; ſive natura tales ſint, uti cælum, mare; ſive jure Gentium, uti liberi homines, res ſacræ, religioſæ, ſanctæ; ſive jure civili, uti theatra, ſtadia, balnea (*d*) (2). Illud autem certum

---

(a) *l. Quid tamen* 14. *ff. eod.*

(b) *l. Labeo* 45. *ff. eod.*

(c) *l. Si jactum* 12. *ff. de Act. emt.*

(d) *l. Hanc legem* 22. *ff. de Contrah. emt.*

(1) *Averſione* venire dicitur, quod confuſe, & univerſaliter uno pretio venditur. Ita averſione vinum venditur, cum omne uno pretio ſemel venit, non in ſingulas amphoras, vel metretas pretio conſtituto *l. Quod ſæpe* 35. §. 5. *ff. Contrah. emt.* & averſione navis conducta videtur, ubi non pro numero impoſitarum amphorarum merces conſtituitur. *l. ult.* §. *ult. ff. de Leg. Rhod.* Emtio per averſionem eſt aleæ ſpecies, in qua ſolum dolum abeſſe oportet; eaque ſimul, atque de pretio convenerit, perfecta videtur *d. l. Quod ſæpe* 35. §. 5. *de Contrah. emt.*

(2) Res ſacræ, religioſæ, ſanctæ vendi poſſunt per ac-

tum eſt, ſi harum rerum venditio fiat, utroque contrahente ignorante, nullam eſſe venditionem. Si vero ſciens ignoranti rem extra commercium poſitam vendiderit, poterit emtor a venditore petere, quod ſua interfuit, ſe non eſſe deceptum (*a*).

Pretium quoque in emtione venditione requiritur. Ejus numeratio neceſſaria non eſt; & ſufficit de pretio conveniſſe (*b*). Pretium vero debet eſſe *verum*, *certum*, *juſtum*. Et pretii quidem niſi conſtet veritas, nulla eſt venditio. Ita inutilis venditio erit, ſi res pretioſa vendatur uno nummo dicis cauſa conſtituto (*c*): &, ſi quis in venditione pretium rei ponit, donationis cauſa non exacturus, non videtur vendere (*d*); quamvis donationis cauſa minoris vendere liceat. Atque hinc intelligitur, quod ait Papinianus (*e*), emtionis ſubſtantiam conſiſtere ex pretio; ut proinde *nuda*, & *imaginaria* venditio JCtis dicatur, quæ eſt ſine pretio (*f*). Hujuſmodi autem venditio tantum valet, remedii loco, ut in ſpecie a Pomponio allata (*g*).

Præterea pretium debet eſſe certum vel per ſe, vel per relationem ad aliud, vel per arbitrium certæ

---

acceſſionem, veluti templum cum pago, ſepulcrum cum agro *l. In modicis* 24. *ff. de Contrah. emt.* Ita ſi eum fundum vendidiſti, in quo ſepulcrum habebas, nec nominatim tibi ſepulcrum excepiſti, ex ſententia Labeonis parum habes eo nomine cautum *l. Si mercedem* 53. §. 1. *ff. de Act. emt.*

(a) §. 5. *h. t.*

(b) *l. Inter* 2. §. 1. *ff. de Contrah. emt.*

(c) *l. Si quis* 10. §. *ult. ff. de Adquir. poſſeſſ.*

(d) *l. Cum in venditione* 36. *ff. de Contrah. emt.*

(e) *l. Pacta conventa* 72. *ff. eod.*

(f) *l. Nuda* 55. *ff. eod.*

(g) *l. Si uſusfructus* 66. *ff. de Jur. dot.*

tæ perſonæ (*a*). Ita per ſe certum erit pretium, ſi illud conſtituatur, quod publice merci eſt impoſitum. Per relationem vero ad aliud recte etiam conſtituetur pretium, ſi res vendatur, quanti tu anno ſuperiore emiſti; vel quanti in foro Kalendis Januariis vendetur (*b*). Nihil etiam vetat, pretium conferri in arbitrium certæ perſonæ. Hac autem in ſpecie venditio conſtabit, ſi tertius ille pretium definiverit: ſecus enim nulla venditio erit (*c*). Ceterum inutilis venditio erit, ſi in arbitrium incertæ perſonæ, vel emtoris ipſius pretium conferatur, quo ſane referri poteſt venditio hoc pacto contracta, *quanti alii æſtimabunt;* aut, *quanti tu æquum putaveris* (*d*). Incivile enim eſt in poteſtate emptoris eſſe, velit eſſe obligatus, necne.

At ſi venditor, vel emtor in pretio læſi fuerint, JCti ea in re inter modicam, & immodicam læſionem diſtinguunt. *Modica* dicitur læſio, ubi dimidium ſaltem juſti pretii fuerit conſtitutum. *Immodica* appellatur læſio, quæ pertingit ultra dimidium juſti pretii. Si dimidium ſaltem juſti pretii fuerit ſolutum, & dolus malus abſit, nihil læſo ſupereſt remedii: hucuſque enim ſe circumvenire contrahentes poſſunt (*e*). Quare & contractum nondum impletum implere læſus cogitur, & contractum impletum reſcindere nequit (*f*). Quod ſi venditor, vel emtor in pretio læſi ſint ultra dimidium, læſo competit remedium ex conſtitutione Diocletiani, & Maximia-

(a) §. 1. *h. t.*
(b) *l. Hæc venditio* 7. §. 1. *ff. de Contrah. emt.*
(c) §. 1. *h. t.*
(d) *l. Quod ſæpe* 35. §. 1. *ff. eod.*
(e) *l. In cauſa* 16. §. 4. *ff. de Minor.*
(f) *l. Si voluntate* 8. *C. de Reſcind. vendit.*

miani (*a*), quo petit, ut vel læſio ſarciatur, vel reſcindatur venditio. In hac autem petitione, in arbitrio eſt rei conventi, utrum læſionem ſarcire velit, an a contractu diſcedere (1). Immodicam porro læſionem in *enormem*, & *enormiſſimam* diſtinguunt Pragmatici. Enormem ultra dimidium juſti pretii, infra beſſem tamen pertingere ajunt; enormiſſimam ultra beſſem. Illud inter utramque intereſt, quod in enormi læſione locus tantum eſt contractus reſciſſioni; in enormiſſima vero, reſciſſo contractu, reſtituendi ſunt læſo fructus interim percepti.

Pretium porro in pecunia conſiſtit ſecundum Proculejanorum ſententiam, quidquid obſtrepuerint Sabiniani, qui putarunt, pretium ex quacumque re conſtitui poſſe, emtionem cum permutatione confundentes (2) (*b*). Illud autem certum eſt, pretio ab initio conſtituto, ſi poſtea pecus in ſolutum detur volenti, venditionem locum habere (*c*): cum enim quæritur, quis ſit contractus, ejus origo ſpectatur (*d*). Em-

---

(a) *l. Rem* 2. *C. eod.*

(b) *l.* 1. §. 1. *ff. de Contrah. emt.*

(c) *l. Pretii* 9. *C. de Reſc. vendit.*

(d) *l. Si filiusf.* 3. *C. ad SC. Maced.*

(1) Non admittitur reſciſſio, 1. ubi venditio facta ſit decreto judicis; 2. poſt annos triginta; 3. ob auctum a tempore venditionis rei valorem; 4. ubi emtori donavit venditor reſiduum juſti pretii; 5. ſi ad haſtam res vendita ſit; 6. ubi venditor renunciavit beneficio *l.* 2. *C. de Reſc. vendit.*

(2) Sane permutationem a venditione differre, illud oſtendit, quod ratio non patitur, ut una, eademque res & veneat, & pretium ſit emtionis; ut illud præteream, emtionem nuda contrahentium voluntate fieri; permutationem ex re tradita initium obligationi præbere *l. Sicut* 1. *pr.* & §. 2. *ff. de Rer. permut.*

Digitized by Google

Emptio autem tam pure, quam ſub conditione contrahi poteſt. Ubi ſub conditione emptio peragetur, venditio perfecta non cenſebitur, niſi extiterit conditio (*a*): deficiente conditione, nulla erit emtio. At ſi conditio extiterit, ex eo periculum emtoris erit. Si vero, pendente conditione, emtor, vel venditor deceſſerit, exiſtente conditione, heredes quoque obligantur; quaſi jam contracta emtione in præteritum. In contractibus enim id tempus ſpectatur, quo contrahimus (*b*). Huc referri poteſt venditio contracta ſub *lege commiſſoria*, aut per *addictionem in diem*, vel ſub conditione *reſolutiva*. Per legem commiſſoriam contrahentes conveniunt, ut, ſi intra certum tempus pretium non ſolvatur, res inemta ſit (*c*). Addictione vero in diem convenitur, ut, meliori conditione venditori intra certum tempus oblata, venditio reſolvatur (*d*). *Addicere in diem* eſt, rem penes emtorem collocare hac lege, *niſi quis intra certum tempus meliorem conditionem attulerit* (*e*). Sub conditione reſolutiva venditio etiam contrahi ſolet, ſcilicet ſub *retractu*, quem dicunt, ſeu *conventionali*, ſeu *gentilitio*. Si ita venditio contrahatur, pactum ei apponitur, quo convenitur, ut quandocumque reſtituto pretio aut a venditore ipſo, aut ab ejus gentilibus, res ab emtore reſtituatur (*f*).

Jam vero, ſoluto ab emtore pretio, & facta a venditore rei traditione, ejus dominium in emtorem

---

(a) *l. Hæc venditio 7. pr. ff. de Contrah. emt.*
(b) *l. Si filiusf. 78. ff. de V. O.*
(c) *l. Si fundus 4. pr. ff. de Leg. commiſſ.*
(d) *l. 1. ff. de In diem addict.*
(e) *Cujac. ad l. 18. tit. de In diem addict.*
[f] *l. Si fundum 2. C. de Pact. int. emt. & vendit.*

rem transfertur. Niſi pretium fuerit ſolutum, aut ſatis eo nomine factum, emtor rei dominium poſt ipſam traditionem numquam adquiret. Tantum ſi venditor fidem habeat de pretio, dominium ſine pretii ſolutione ſtatim tranſit in emtorem (*a*). Dominium autem in emtorem transfertur, ſi venditor ſit rei dominus: ſecus enim numquam venditor dominium, quo ipſe caret, transferre poterit (*b*). Ceterum in hac ſpecie emtor, a venditore vacua poſſeſſione accepta (1), ſi ab aliquo lis de dominio rei fuerit inſtituta, poterit venditorem convenire, ut rem defendat (*c*). Quod ſi res fuerit a domino evicta, emtor adverſus venditorem actione ex emto inſtituta, & pretium conſequetur, & quod ſua interfuit, rem emtam evictam non eſſe (*d*). In hoc autem judicium venit eorum perſecutio, quæ in rem emtam, ut melior fieret, ab emtore erogata ſunt (*e*). Ceterum quo evictionis cauſa emtor agere queat, oportet, ut opportuno tempore i. e. non prope condemnationem auctori, h. e. venditori, ejuſve heredi denunciet: id niſi fiat, evicto prædio, neque ex ſtipulatu, neque ex dupla, neque ex emto actionem contra venditorem, vel ejus fidejuſſorem emtor habebit (*f*). Iſthæc denunciatio dicitur *auctoris*

(a) *l. Quod vendidi* 19. *ff. de Contrah. emt.*
(b) *l. Si ita* 25. §. 1. *ff. de Act. emt.*
(c) *l. Si plus* 74. §. 2. *ff. de Evict.*
(d) *l. Super* 16. *l. Si cum* 17. *C. eod.*
[e] *l. Si controverſia* 9. *C. eod.*
[f] *l. Emtor* 8. *C. eod.*

(1) Vacua poſſeſſio emtori tradita non intelligitur; ſi alius legatorum, fideive commiſſorum ſervandorum cauſa, aut venter in poſſeſſione fuerit, vel creditores bona poſſideant. *l. Si in emtione* 2. §. 1. *ff. de Act. emt. & vend.*

ris laudatio (*a*): *laudare* enim veteribus fuit denunciare.

Emtione venditione perfecta, niſi aliud pacti ſint contrahentes, periculum, & commodum pertinet ad emtorem. Perfecta dicitur venditio, ubi de certa re, certo conſtituto pretio, convenerit (*b*). Si itaque poſt perfectam emtionem fundus vel totus, vel ex parte fuerit a flumine occupatus, emtoris damnum erit, qui pretium ſolvere cogetur, licet rem nactus non ſit. Contra ſi quid fundo acceſſerit per alluvionem, emtorem ſequetur (*c*). Id tamen locum habebit, niſi res ex vitio præcedente perierit; vel dolus, aut culpa caſui anſam dederit; vel venditor periculum uſque ad traditionem in ſe receperit; vel moram admiſerit (*d*). Quin & venditorem damnum ſequetur, ſi res ante traditionem facto ejus peremta ſit, ut in ſpecie ab Africano propoſita de fundo vendito, & ante traditionem publicato. Si enim mihi fundum vendideris, iſque priusquam vacuus traderetur, publicatus fuerit, teneberis ex emto hactenus, ut pretium reſtituas; non ut etiam id præſtes, ſi quid pluris mea interſit, fundum vacuum mihi tradi (*e*): fundus enim vix publicatur ante traditionem ſine culpa, & delicto venditoris.

Quod vero ad res, quæ pondere, numero, ac menſura conſtant, eæ ſi per averſionem venditæ fuerint, ipſarum periculum ſtatim poſt emtionem emtoris

[a] *l. Auctore* 7. *C. eod.*
(b) *l. Neceſſario* 8. *pr. ff. de Peric. & comm. rei vend.*
(c) *l. Id*, *quod* 7. *ff. eod.*
[d] §. 3. *h. t.*
(e) *l. Si fundus* 33. *ff. Loc. conduct.*

toris erit (*a*). Ubi autem hujuſmodi res particulatim veneant, niſi admenſa, adnumerata, adpenſave ſint, periculum omne ad venditorem pertinebit (*b*). Non abſimili ratione ſi vinum ita veniit, ut deguſtetur, ante deguſtationem periculum erit venditoris (*c*); niſi dies certus guſtationi præſtitutus mora emtoris fuerit elapſus (*d*).

Ex emtione oritur duplex actio, *Emti*, & *Venditi*. Actio emti datur emtori adverſus venditorem, ut tradat rem venditam cum omni cauſa, damnumque præſtet culpa, aut mora illatum (*e*): qui ſi alteri rem venditam vendiderit, incidit in legem Corneliam de falſis (*f*) (1). Actione autem venditi experitur venditor adverſus emtorem, ut is ſolvat pretium cum uſuris a tempore moræ, & ſumtus in rem venditam ante traditionem factos. Illud porro explorati juris eſt, neque emtorem, nec venditorem agere cum effectu poſſe, niſi ipſe pro ſe impleverit: ſecus enim exceptione ***implementi non ſecuti*** uterque repelletur (*g*).

TI-.

(a) *l. Si quis* 4. §. 1. *ff. de Peric. & comm. rei vend.*
(b) *l. Quod ſæpe* 35. §. 5. *ff. de Contrah. emt.*
[c] *l.* 1. *pr. ff. de Peric. & comm. rei vend.*
(d) *l. Si quis* 4. §. 1. *ff. eod.*
(e) *l.* 1. *pr. l. Ex emto* 11. §. 2. *l. Ratio* 3. §. 3. *ff. d. Act. emt.*
(f) *l. Qui duobus* 21. *ff. de Leg. Cornel. de falſ.*
(g) *l. Julianus* 13. §. 19. *ff. de Act. emt.*
(1) Si quid in re vendita falſo venditor adfirmaverit, emtor adverſus eum experiri poterit ædilitiis actionibus, *redhibitoria* ſcil., vel *quanti minoris*: illa pretium ſuum conſequetur; hac vero tantum de pretio ei reſtituetur, quanti minoris æſtimata res fuerit *l.* 18. *pr. ff. de Ædilit. edict.*

TITULUS XXV.

De Locatione Conductione.

LOcatio conductio definitur, *contractus bilateralis conſenſu conſtans de re utenda, vel facienda pro certa mercede* (1). Sicut in emtione venditione, ita & in locatione conductione tria requiruntur, conſenſus, res vel opera honeſta, & merces. Pretium porro quemadmodum in emtione certum eſſe debet; ita & merces in locatione certa ſit, oportet. Quapropter, mercede in arbitrium Mævii collata, contractus factus intelligitur ſub conditione, *ſi Mævius mercedem definiverit*. Atque adeo ſi fulloni polienda, curandave, aut ſarcinatori ſarcienda veſtimenta quis locaverit, nulla præſenti mercede conſtituta, ſed poſtea conſtituenda, non locatio conductio erit, ſed potius contractus innominatus, *facio, ut des* (a):

Jam vero ſicut emtio venditio non contrahitur, niſi de re cum pretio; ita locatio conductio non initur, niſi res utenda detur, certa mercede conſtituta, Quod ſi res cum re utenda datur, conductio non coaleſcit. Quare ſi convenerit, ut uſum equi, vel bovis alternis invicem commodemus, non locatio conductio

---

(a) *l. Si tibi* 22. *ff. de Præſcr. verb.*

(1) *Locator* eſt, qui rem ſuam dat utendam, vel operas ſuas promittit certa mercede: *Conductor* vocatur, qui accipit rem utendam. Si vero opus locatur, qui locat operas, eſt *conductor*, ſeu *redemtor operis*; & qui conducit operas, *locator operis* appellatur. Conductor vectigalium dicitur *Publicanus*: conductor domus *Inquilinus*, fundi conductor *Colonus* nuncupatur.

ctio erit, ſed contractus innominatus, *do, ut des*, actioque inde naſcetur *præſcriptis verbis* (*a*). Itaque merces in locatione neceſſario requiritur, quæ ſane certa, & vera eſſe debet, & conſiſtere in pecunia numerata. Tantum in agris olivetis, vel vinariis locatis merces etiam conſtitui poteſt in parte fructuum certa, & colonus partiarius in dimidia, vel tertia fructuum parte penſionem recte præſtat (*b*). Id ideo fortaſſe placuit, ne coloni pecuniam ſolvere adſtricti, præmature, & minoris vendere ſegetes cogerentur.

Porro conductor omnia ſecundum legem conductionis facere debet (*c*), i. e. ſervare debet pacta conventa conductionis; pacta enim dant legem contractui. Si quid autem in lege fuerit prætermiſſum, id ex æquo & bono præſtandum erit. Hinc ex locato & conducto uſuræ debentur ex mora in mercede ſolvenda, etiamſi de uſuris nihil convenerit (*d*); & in locatione conductione in prædiis urbanis invecta illata, in prædiis ruſticis fructus, qui ibi naſcuntur, tacite ſunt pignori pro penſionibus (*e*). Conductor autem in re conducta eam diligentiam præſtare debet quam ſolers, & frugi paterf. ſuis rebus adhibere ſolet. Proinde ad colonum pertinere, reſpondit Cajus, ut opera ruſtica ſuo quoque tempore faciat, ne intempeſtiva cultura deteriorem fundum reddat, (*f*). Caſus autem fortuiti a conductore non præ-

(a) *l. Si gratuitam* 17. *ff. eod.*
(b) *l. Si olei* 21 *C. h. t.*
(c) *l. Si merces* 25. §. 3. *ff. eod.*
(d) *l. Præſes* 17. *C. eod.*
(e) *l. Certi* 5. *C. eod. l. Pomponius* 2. *l. In prædiis* 7. *ff. In quib. cauſ. pign.*
(f) *l. Si merces* 25. §. 3. *ff. h. t.*

præſtantur, niſi eos in ſe ſuſceperit (*a*); vel caſus ipſius culpa contigerint. Ita ſi, exercitu adveniente, conductor e fundo migravit, nec denunciavit domino; vel non reſtitit, ubi reſiſtere potuit, ex locato tenebitur, ſi quid damni fundo acciderit (*b*). Si quis vero opus faciendum conduxerit, præter levem culpam præſtabit etiam imperitiam: is enim opus conduxit ut artifex, qui præſtat artis peritiam. Proinde ſi gemma inſculpenda data non vitio materiæ, ſed imperitia facientis fracta ſit, ex locato actionem competere, ait Ulpianus (*c*).

Finito locationis tempore, ſi conductor in re conducta eſſe pergat, tacente locatore, tacita reconductio iisdem conductionis legibus facta videtur; ut & pignora ipſa obligata permaneant. Tantum ſi res alienæ hypothecæ fuerint ſuppoſitæ, eæ non obligantur, niſi dominus conſenſerit. Reconductionis porro tempus Romani in prædiis ruſticis annum eſſe voluerunt; in prædiis urbanis eatenus reconductum prædium dixerunt, quatenus inquilinus inhabitaſſet (*d*). Sed apud nos ſive in ruſticis, ſive in urbanis prædiis ex receptis moribus reconductio in anni ſpatium facta cenſetur.

Jam vero, mortuo conductore intra conductionis tempora, conductio ad heredes, & in heredes tranſmittitur (*e*). Qui enim contrahit, ſibi, & heredibus contrahere intelligitur (*f*). Non deſunt tamen in jure ſpecies, in quibus conductio ante præfinitum tem-

(a) *l.* 1. C. *Commod.*
(b) *l. Item quæritur* 13. §. 7. *ff. h. t.*
(c) *d. l.* 13. §. 5. *ff. eod.*
(d) *d. l.* 13. §. 11. *ff. eod.*
(e) *l. Viam veritatis* 10. *l. Contractus* 24. C. *h. t.*
(f) *l. Si pactum* 9. *ff. de Probat.*

tempus ſolvitur. Ita inquilinus ædibus conductis expelli poteſt ante tempus, ſi dominus ædium eas propriis uſibus neceſſarias eſſe probaverit; aut ſi velit eas corrigere, h. e. inſtaurare, ſeu reficere; vel ſi male conductor in his fuerit verſatus (*a*). Præterea conductor expelli poteſt, ſi biennio ceſſaverit in ſolvenda penſione, aut fundum non colat, uti oportet; quamvis locator promiſerit, ſe conductorem invitum non expulſurum (*b*). Denique ſi domus locata vendatur, aut legetur, emtor, aut legatarius non tenetur ſtare locationi; ſed conductori ſupereſt actio ex conducto in venditorem, vel heredem. Proinde ſecundum Caji conſilium, qui fundum locavit, ſapienter aget, ſi curabit, ut apud emtorem quoque eadem pactione & colono frui, & inquilino habitare liceat (*c*). Ceterum quamvis certum ſit, conductorem poſt finitum conductionis tempus reconductionem, invito domino, fruſtra poſtulare in prædiis ruſticis; prædiorum tamen publicorum veteres conductores novis præferri, æquum putarunt Honorius, & Theodoſius; ubi tamen facta per alios augmenta ipſi ſuſciperent (*d*).

Ex locatione conductione duplex oritur actio, locati, & conducti. Actio locati datur locatori adverſus conductorem, ut, finita locatione, rem reſtituat, & reparet damnum dolo, lata, vel levi culpa datum; utque præſtet mercedem pro uſu rei debitam etiam cum uſuris a tempore moræ (*e*). Actione vero conducti experitur conductor adverſus locatorem

(a) *l. Æde* 3. *C. h. t.*
(b) *l. Quæro* 54. §. 1. *ff. eod.*
(c) *l. Si merces* 25. §. 1. *l. Qui fundum* 32. *ff. eod.*
(d) *l. Congruit* 4. *C. de Locat. præd. civil.*
(e) *l. Adverſus* 2. *l. Si quis* 25. *C. h. t.*

rem, ut is liberum rei uſum præſtet, utque damnum vitio rei illatum ſarciat. Ita ſi ſaltum paſcuum, in quo herba mala naſcebatur, ſciens locaſti, & pecora vel demortua ſunt, vel deteriora facta, quod intereſt, præſtabis (*a*). Eodem judicio conductor petet, ut neceſſarios, ac utiles ſumtus in re factos locator reſtituat, ac mercedem remittat ob uſum ex parte non præſtitum, ac fructus non perceptos (*b*). Ceterum ubicumque remiſſionis ratio habetur, non id, quod ſua intereſt, conductor conſequitur, ſed mercedis exonerationem pro rata temporis conductionis. Seminis autem damnum ad colonum ſemper pertinebit ex ſententia Ulpiani (*c*).

Quod vero diximus, conductorem propter uſum ex parte non præſtitum, vel fructus non perceptos, ex conducto ad mercedis exonerationem agere poſſe, id quidem locum habebit, ſi immodice læſi fructus fuerint: modicum damnum æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur (*d*). Quin ex anni ſterilitate mercedis remiſſionem fruſtra petit colonus, ſi ea aliorum annorum ubertate fuerit repenſata. Quod & in publici vectigalis fundi damno reſpondiſſe Papinianum, refert Ulpianus (*e*). Poſtremo ſi domus combuſta, vel ager diu inundatus, vel fructus pendentes in agro calamitatem magnam paſſi ſint, incurſu hoſtium, vi graculorum, grandinis, aut edaci locuſtarum pernicie conſumti, remiſſionis mercedem conductoribus deberi poſt Prudentes, edixerunt Imperatores; niſi in lo-

(a) *l. Si quis* 19. §. 1. *ff. eod.*
(b) *l. Dominus horreorum* 55. §. 1. *ff. eod.*
(c) *l. Ex conducto* 15. §. 7. *ff. eod.*
(d) *l. Si merces* 25. §. 6. *ff. eod.*
(e) *l. Ex conducto* 15. §. 4. *ff. eod.*

locatione expreſſum fuerit, ut, ſi qua damna *vi divina* accidiſſent, ad conductorem pertinerent (*a*).

De Emphyteuſi.

EMphyteuſis *απο του εμφυτευειν* deſcendit, *inſitatio* propterea a Valentiniano appellata (*b*). Ejus exemplum in ipſo Pentateucho ſibi deprehendere viſus eſt Vinnius (*c*) poſt Joſephum (*d*). Quidquid hujuſce antiquitatis fuerit, illud exploratum eſt, vetuſtiſſimum hunc contractum fuiſſe, ſuoſque natales juri Gentium debere. Porro in prædiis municipiorum, fiſcalibus, & patrimonialibus conſtituta initio emphyteuſis fuit (*e*). Inde paſſim & ad privatos fundos produci cœpit. Cum tamen ſquallidi tantum, & inculti agri in emphyteuſim darentur olim, utilitas deinde ſuaſit, ut & cultiſſimi agri, & ipſa ædificia emphyteutico juri ſubjicerentur.

Jam vero agri, in quibus emphyteuſis conſtituebatur, *vectigales* antiquitus dicti ſunt, ob annuum ſcil. vectigal, quod emphyteuta ei ſolvit, a quo prædium ſeu ad longum tempus, ſeu in perpetuum fruendum accepit; ex quo & *vectigales actiones* nuncupatæ, quæ emphyteuticariis dantur (*f*). A Conſtantini porro ætate, emphyteuſeos, & canonis vocabulis procuſis, prædia *emphyteutica*, & *vectigalia* promiſcue dici cœperunt. Verum cum *vectigalium* vo-

(a) *l. Licet 8. C. eod.*
(b) *Nov. de Præd. piſtor. Afr. deput.*
[c] *Vinn. in Comment. Inſt. ad h. t.*
(d) *Joſephus Antiq. II. 7.*
[e] *Gothofr. ad C. Theod. tit. de Locat. fund. jur. emphyteut.*
(f) *l. Sciendum 15. §.1. ff. Qui ſatisd. cog. l. Si fruita 15. §. 26. ff. de Damn. infect.*

vocabulum publicis reditibus deſignandis fuerit accommodatum, publicis fundis in emphyteuſim datis, *vectigalium agrorum* nomen hæſit (de quibus tantum reſponderunt Paulus, & Ulpianus in toto titulo Pandectarum, *Si ager vectigalis, i. e. emphyteuticarius petatur*) qui autem a privatis concederentur agri, *emphyteutici*, & *emphyteuticarii* dicti ſunt (*a*).

Eſt autem emphyteuſis contractus conſenſualis, quo in perpetuum, vel ad longum tempus prædium fruendum alicui datur ſub annua penſione; ut, quamdiu penſio præſtatur, prædium auferendi jus domino non ſit. Hinc emphyteutæ paſſim in jure Romano audiunt *perpetuarii*, & *perpetuarii conductores* (*b*), & ipſa emphyteuſis *jus perpetuarium* appellatur. Ex definitione porro liquet, emphyteuſim a feudo, a cenſu *reſervativo*, ab uſufructu, & a contractu libellario longe diſcrepare (*c*). Ceterum non ex tempore, ſed ex ipſa conventione de emphyteuſi ſtatuendum. Quælibet enim temporis longævitas dominium transferre non poteſt (*d*). Hinc merito vapulat Cujacius (*e*), qui cenſet, locationes omnes, quæ luſtrum egrediuntur, jus perpetuarium conſtituere. Præterea nec illis aſſentiri poſſum, qui putarunt, in contractu emphyteutico ſolo conſenſu jus prædii transferri, & ſtatim in rem actionem emphyteutæ adquiri. Id enim contractuum naturæ repugnat, quorum ſubſtantia non in eo conſiſtit, ut aliquod corpus noſtrum, aut ſervitutem noſtram faciat,

(a) *P. Burmann. in de Vectigal. pop. Rom.*

(b) *l.* 1. *&* 3. *C. de Locat. præd. civil.*

(c) *Vid. Molinæum in de Feud. p. II. & Connan. Comment. jur. civ. VII.* 2.

(d) *l. Non ſolet* 39. *ff. Loc. cond.*

(e) *Cujac. In Not. prior. ad Inſtit. h. t.*

ciat, ſed ut alium nobis obſtringat ad dandum aliquid, vel faciendum, vel præſtandum (*a*).

Ante Zenonem lis inter Prudentes fuit, utrum emphyteuſis emtio venditio, an locatio conductio foret. Emtio nimirum ob pleniſſimum uſumfructum; conductio autem propter annuum canonem videbatur (*b*). At Zeno conſtitutione ſua emphyteuſim certo jure donavit, eamque contractum eſſe voluit ab emtione, & locatione diverſum: ex quo in poſterum non actione ex emto, aut ex conducto, ſed emphyteuticaria experiundi jus eſſet. Cum vero emphyteuſis contractus ſit bonæ fidei, *ſcriptura*, quam memorat Zeno (*c*), non ad ſubſtantiam contractus inſervit, ſed ad probationem rei geſtæ (1). Quod in emphyteuſi eccleſiaſtica ſecus obtinere, placuit Juſtiniano (*d*).

Porro quamdiu canon ab emphyteuta præſtatur, neque perpetuario ipſi conductori, neque heredi ejus, cuive conductor, hereſve alienaverit, fundum emphyteuticum auferre licebit. Proinde canon pars eſt emphyteuſeως eſſentialis. Ubi vero emphyteuta a ſolvendo canone per triennium in emphyteuſi ſæculari,

---

(a) *l. Obligationum 3. pr. ff. de O. & A.*
(b) §. 3. *h. t.*
(c) *l.* 1. C. *de Jur. emphyteut.*
(d) *Nov.* 120. *c.* 3.

(1) Hinc Græci verba illa in conſtitutione Zenonis, *ſcriptura interveniente*, omiſerunt; & in *l.* 2. C. *de Jur. emphyteut.* e medio ſuſtulerunt voces illas, *in emphyteuticis inſtrumentis*; quemadmodum in *l.* 3. C. *eod.* expunxerunt illa; *ſi quidem emphyteuticum inſtrumentum.* Ipſi vero ſimpliciter vertunt: *ει μεν συμπεφωνηται τινα περι της τουτων εκποιησεως, κρατειτω τα συμφωνα*: *ſi quid enim de horum alienatione fuerit conventum, valet, quod conventum eſt.*

culari; in emphyteuſi eccleſiaſtica per biennium ceſſaverit, emphyteuſis reſolvetur, ſi domino ita placuerit: qua quidem in re diem pro homine interpellare, voluit Juſtinianus (*a*). Hodie tamen ex æquitate juris Pontificii in foro paſſim recepta poteſt emphyteuta celeri ſatisfactione purgare moram, & caducitatem declinare (*b*).

Emphyteuta autem ſine conſenſu domini *ἐμπονήματα meliorationes* alienare non poteſt. Ne vero facultas omnino emphyteutæ præcideretur jus ſuum alienandi, juſſit Juſtinianus, dominum ab emphyteuta denunciatum deliberare intra duos menſes oportére, an in alienatione præferri vellet: eo termino elapſo, emphyteutæ jus eſſe voluit meliorationes alienandi (*c*). Ubi porro alienatio extraneo facta fuerit, is quidem in poſſeſſionem a domino directo mittetur, cui *laudemium*, ſeu partem pretii quinquageſima perſolvere cogitur. Laudemium autem, quod a *laudando*, i. e. adprobando dictum, ſemper domino debetur, quocumque alienationis titulo res emphyteutica transferatur. Diſcrimen tamen inter venditionem, & ceteras alienationes intereſt: quæ enim in venditione prælatio directo domino competit, ea in ceteris alienationibus non datur. Tantum in his denunciatio fieri domino debet, ne laudemium intervertatur, aut emphyteuta obtrudatur, qui ad emphyteuſim venire prohibetur (*d*).

Emphyteuſis conſtitui poteſt, contractu, teſtamento, præſcriptione longi temporis, & ſucceſſione ab inteſtato. Illud autem definire oportet, ubi emphyteuſis

(a) *l. Cum dubitabatur* 3. *C. de Jur. emphyteut.*
(b) *Cap. IV. de Locat. ex.*
(c) *d. l.* 3. *C. eod.*
(d) *d. l.* 3. *C. eod.*

teuſis fuerit conſtituta, ut diſcerni non poſſit, quinam heredes ad eam vocentur, an ipſa ad quoſcumque heredes pertineat. Sane ſi ad certum tempus emphyteuſis ſit inita, intra conſtitutum tempus in eam ſuccedent heredes omnes. Ubi vero tempus fuerit per generationes definitum, in dubio tantum deſcendentes ad emphyteuſim admittentur. Contra ſi in perpetuum conſtituatur emphyteuſis, nulla liberorum mentione facta, ad eam heredes omnes vocabuntur. At vero ad certam generationem emphyteuſi ſimpliciter definita, adquirens ipſe in generationum numero computabitur, niſi aliud pacti ſint contrahentes.

Conſtituta emphyteuſi, quemadmodum dominium utile in emphyteutam tranſit, ut omnem inde ſuam faciat utilitatem; ita & onera omnia eum ſequentur. Quare ad ipſum pertinent publicarum functionum onera, & tributa. Quin ſi quod damnum emphyteutico fundo acciderit, emphyteutæ erit: ut proinde ob agri ſterilitatem canonis remiſſionem fruſtra poſtulet (*a*).

Multis porro modis emphyteuſis amittitur. Primum ſi fundus penitus perierit, damnum domini directi erit. Præterea, non ſoluto per triennium canone in emphyteuſi ſæculari, per biennium in eccleſiaſtica, reſolvitur emphyteuſis. Quin & eam ceſſare placuit, ſi emphyteuta, inconſulto domino, rem vendiderit, deterioremque peſſime fecerit (*b*). Poſtremo finitur emphyteuſis conſolidatione, ſi nempe dominium directum per ſucceſſionem, præſcriptionem, vel conventionem cum utili dominio conjun-

---

(a) *l. In emphyteuticariis* 2. C. *eod.*

(b) *l.* 3. C. *eod. Auth. Qui res* C. *de Sacroſ. Eccleſ.*

jungatur: nemo enim rem ſuam in emphyteuſim habere poteſt.

Ex hoc contractu oritur actio emphyteuticaria utrinque directa; quia uterque ab initio obligatur. Ea actione dominus emphyteuſeos experitur contra emphyteutam ad ſolutionem canonis, laudemii, & ad id, quod ex pactis conventis præſtari oportet. Eadem actione emphyteuta adverſus dominum directum, ejuſque heredes aget, ad fundum emphyteuticum ſecundum conventionis leges præſtandum (*a*). Datur etiam emphyteutæ, cui ager traditus eſt, utilis rei vindicatio adverſus quemcumque poſſeſſorem, ipſumque dominum directum (*b*).

TITULUS XXVI.

De Societate.

SOcietas eſt contractus conſenſualis, quo res, vel operæ honeſtæ communicantur, lucri, vel damni participandi cauſa. Differt itaque ſocietas a rerum communione, in quam caſu fortuito incidunt collegatarii, donatarii, coheredes, & plures unius rei emtores (*c*). Hinc ſocietas *voluntaria* opponitur *hereditariæ*, quæ eſt neceſſaria (*d*). Et hanc diſtinctionem accurate expreſſit Tullius pro Quint. *Cum eo tu voluntariam ſocietatem coibas, qui te in hereditaria ſocietate fraudaverat?* Cum vero ſocietas verſetur circa res, vel operas honeſtas, ſi unus ex ſociis quid ex furto, vel alio maleficio quæſierit, in ſocietatem non confertur: rerum enim inhoneſtarum

(a) §. 3. *h. t.*
(b) *l. Si cum venditor 66. pr. ff. de Evict.*
(c) *l. Ut ſit 31. ff. pro Soc.*
(d) *l. Verum eſt 63. §. 8. ff. eod.*

rum nullam eſſe ſocietatem, reſpondit Ulpianus (*a*). Societas autem vel eſt publica, vel privata. Publica circa res reip. verſatur. Hujuſmodi eſt ſocietas vectigalium, metallorum, aliorumque id genus. Hæc per excellentiam dicitur *ſocietas equitum potentiorum*, qui per partes locabant publicanis (*b*). Privatam in *univerſalem*, & *particularem* partitur Tribonianus (*c*). Rectius fortaſſe ea dividi poteſt in *univerſalem*, *generalem*, & *ſingularem*. Societas univerſalis coita cenſetur, ubi non ſolum negotiorum lucra; ſed omnia bona præſentia, & futura inter ſe ſocii communicaverint (1). Generalis ſocietas erit, ſi ſocii omnium negotiorum communionem iniverint. In ſocietate generali præſentia bona non communicantur; ſed tantum ea, quæ ex quæſtu veniunt. Quæſtus autem intelligitur, qui ex opera cujuſque deſcendit; cujuſmodi eſt lucrum, quod ex emtione venditione, locatione conductione venit. Quæ vero alieno beneficio obveniunt, veluti legata, donationes, hereditates, non communicantur; quemadmodum & æs alienum, niſi quod ex quæſtu pendet, non veniet in rationem hujus ſocietatis. Ceterum ſi non fuerit definitum, quarum rerum ſocietatem inire velint contrahentes, generalis ſocietas contracta cenſebitur (*d*). Singularis ſocietas

(a) *l. Nec prætermittendum* 57. *ff. eod.*
(b) *Sigon. lib. II. de Antiq. jur. civ. Rom. cap.* 4.
(c) *pr. h. t.*
(d) *l. Coiri* 7. *l. Sed nec æs* 12. *ff. eod.*
(1) Jure civili ſocietas omnium bonorum poteſt etiam inter virum, & uxorem contrahi *l. Alimenta* 16. §. 3. *ff. de Alim. legat.* ſocietas enim inter virum, & uxorem non eſt donatio, ſed ſpecialis contractus, qui non prohibetur, niſi animo donandi fiat *l. Cum hic ſtatus* 32. §. 24. *ff. de Donat. int. vir. & uxor.*

cietas eſt, quæ unius rei, negotiationis, vel artificii cauſa contrahitur. Ita hujuſmodi ſocietas inter eos coita videtur, qui, pacto convento ſocietatis, grammatica docuerunt, ut, quod ex eo artificio quæſtus feciſſent, commune eorum eſſet. In ſocietate univerſali res omnes ſociorum continuo ſine traditione communicantur: tacita enim traditio creditur intervenire (*a*). Hinc hereditates, legata, donationes, &, quod quaque ratione adquiſitum, in commune obveniunt. Tantum nomina, niſi mutuis ceſſionibus communicentur, in ſuo ſtatu permanere placuit (*b*). Cum vero in ſocietate univerſali omnia inter ſocios communicentur, ſociorum onera communiter ſuſtineri debent. Proinde quæ utrimque erogantur in liberorum ſtudia, honorem, dotem, vel donationem propter nuptias, ſocietati imputari, docuere Pudentes (*c*). Si quid vero ex cauſis minus honeſtis fuerit erogatum, in ſocietatem non imputabitur. Ita quod in alea, aut adulterio perdiderit ſocius, ex medio eum non laturum, reſpondit Pomponius (*d*).

Societate contracta, ſi nihil de partibus lucri, aut damni pacti ſint contrahentes, æquales partes ferent. Quod ſi partes expreſſæ fuerint, ut unus ex ſociis duas, vel tres habeat, alter unam tantum, pacta conventa ſervari debent. Boni enim viri arbitrio convenire poteſt, ut non æquæ partes ſocietatis conſtituantur; cum unus ex ſociis plus operæ, atque induſtriæ in ſocietatem conferre queat (1) (*e*). Ubi

(a) *l.* 1. *l. Quia* 2. *ff. eod.*
(b) *l. Ea vero* 3. *ff. eod.*
(c) *l. Si ſocietatem* 73. *ff. h. t. l. Ex parte* §. 3. *ff. Fam. erciſc.*
(d) *l. Adeo* 59. §. 1. *ff. h. t.*
(e) *l. Societates* 5. §. 1. *l. Si non fuerint* 29. *pr. ff. eod.*
(1) Tullius pro Roſc. Comœd. *O ſocietatem captioſam*

Ubi autem ex natura ſocietatis lucrum, & damnum inter ſocios æqualiter diſtribuatur, geometrica, non arithmetica æqualitas ſervabitur; & pro rata collationis lucrum, aut damnum inter ſocios dividetur (*a*). Ceterum quando partes lucri, & damni inæquales ſunt, lucrum, aut damnum ſeparatim ſpectari non debet; ſed, compenſatione facta, videndum, quid ſuperſit (*b*). Non enim intelligitur lucrum, niſi deducto damno; &, compenſatione lucri & damni facta, ſolum, quod ſupereſt, dicitur lucro eſſe. Illud poſtremo certi juris eſt, valere conventionem, ut ad unum quidem duæ partes & lucri, & damni pertineant, ad alterum tertia; vel ut unus partem lucri habeat, de damno non teneatur; nimirum ubi alter plus operæ, induſtriæ, gratiæ in ſocietatem conferat (*c*). Hæc Servii ſententia prævaluit in *Notatis* Mucii (*d*), quæ Gellius *reprehenſa Scævolæ capita* vocat (*e*). Quæ vero *leonina* ſocietas ex Phædri apologo dici ſolet, ipſa ſocietati penitus repugnat. Ea ſane convenitur, ut unus ſolus habeat lucrum, alter ſolus damnum (*f*). Ceterum ſi in ſocietate dumtaxat de parte lucri conventum & de quota parte damni nihil dictum ſit, eadem erit pars damni, ac lucri, quia quota expreſſa in una cauſa cenſetur repetita in alia (*g*): &

ſam, & indignam! ubi alter H. S. ꞏ*ↄↄↄ. alter* ꞏ*ccꞏↄↄↄ. quod ſit, in ſocietatem affert: niſi idcirco moleſte pateris, quod H. S.* ꞏ*ↄↄↄ. tu ex arca proferebas, H. S. ccꞏↄↄↄ. ex diſciplina, & artificio Roſcius proferebat.*

(a) *l. Si ſocietatem* 6. *ff. eod.*

(b) *l. Mucius* 30. *ff. eod.*

(c) *l. Quid enim* 80. *ff. eod.*

(d) *l. Mucius* 30. *ff. eod.*

(e) *l. IV. N. A. c.* 1.

(f) *l. Si non fuerint* 29. §. 2. *ff. eod.*

(g) *Arg. l. Si plures ff. de Vulg. ſubſtit.*

& cum in ſocietate fides maxime ſpectetur, æquitatis rationibus convenit, æquales eſſe compendii, & damni partes (*a*).

Jam vero ſocietas pluribus modis ſolvitur. Primo, ſi inter plures fuerit contracta, unius renunciatione eam diſſolvi placuit (*b*). Id ita receptum, quia nemo invitus cogi poteſt, manere in communione, quæ immenſas contentiones excitare ſolet (*c*). Hoc tamen locum habebit, ubi ſocius tempeſtive ſocietati renunciaverit: ſi enim intempeſtive id egerit, ut ſolus obveniens lucrum ferat, tenetur actione pro ſocio lucrum cum ſocio communicare. Ita ſi quis ſocius omnium bonorum heres ab aliquo inſtitutus, ut hereditatem ſolus lucrifaciat, ſocietati renunciet, hereditatem cum ſocio communicare compelletur (*d*). Item qui renunciat ante tempus ſocietati diſſolvendæ præfinitum, is quidem ſocium a ſe, non ſe a ſocio liberat. Quare ſi quid compendii poſtea factum erit, ejus partem non feret; at ſi diſpendium contigerit, æque præſtabit portionem; niſi renunciatio ex neceſſitate facta fuerit (*e*). Atque hoc eſt, quod ait Paulus, *ſocietatis intempeſtivam renunciationem ipſo jure in æſtimationem venire* (*f*). Adeo autem certum eſt, tempeſtiva unius renunciatione ſocietatem diſſolvi, ut renunciandi facultas ne pacto quidem poſſit auferri (*g*).

Præterea ſolvitur ſocietas morte ſive naturali, ſeu

(a) *l. Cum in ſocietatis 3. C. h. t.*
(b) *l. Verum eſt 63. §. ult. ff. h. t.*
(c) *l. In re communi 26. ff. de Servit. præd. urban.*
(d) *l. Actione 65. §. 3. ff. h. t.*
(e) *l. Sed & ſocius 17. §. 2. ff. eod.*
(f) *d. l. Actione §. 6. eod. Vid. l. Si convenerit 14. in fin. ff. eod.*
(g) *d. l. 14. eod.*

ſeu civili unius ſocii. Id inde factum, quia certæ perſonæ induſtria eligitur in ſocietate, & multum intereſt, quis aliquid faciat. Ubi autem vel plures, vel unus ex ſociis deceſſerit, ſocietas ſolvitur, etſi plures ſuperſint; niſi inter contrahentes convenerit, ut, aliquo ſociorum mortuo, ſocietas inter ſuperſtites maneret (*a*). Id autem adeo obtinuit, ut non valeat pactum ſocietati ab initio appoſitum, ut heres in ſocietatem ſuccedat. Ceterum licet heres in ſocietatem defuncti non ſuccedat; tamen tenetur actione pro ſocio ex geſtu defuncti: quemadmodum licebit ſocio a defuncto inchoata perficere, & emolumenta a vivo illo quæſita petere (*b*).

Finitur etiam ſocietas finito negotio, de quo inita erat (*c*). Itidem finitur ſocietas, ubi res, de qua contracta eſt, interierit: veluti ſi aut nulla relinquatur, aut conditionem mutaverit: neque enim ejus rei, quæ jam nulla eſt, quiſquam ſocius eſſe poteſt: neque ejus, quæ conſecrata ſit, aut publicata (*d*). Poſtremo qui ſocietatem in tempus coivit, finito tempore, liberum ipſi erit a ſocietate recedere (*e*).

Quin & publicatione, & bonorum ceſſione unius ex ſociis ſocietatem diſſolvi placuit. Publicatis quidem bonis, cum alius, i. e. fiſcus in ſocii locum ſuccedat, is certe, cujus bona publicantur, pro mortuo habetur (*f*). Et ſi unus ex ſociis bonis ceſſerit, eaque vendita a creditoribus fuerint, diſtrahi ſocietatem, Labeo reſpondit (*g*). Proſcriptio enim

(a) *l. Actione* 65. §. 9. *ff. eod.*
(b) *l. Adeo* 59. *pr. ff. eod.*
(c) *l. Nemo* 35. *l. Heres* 40. *ff. eod.*
(d) *l. Verum eſt* 63. §. *ult. ff. eod.*
(e) *l. Actione* 65. §. 6. *ff. eod.*
(f) *d. l. Actione* §. 12. *eod.*
(g) *d. l. Actione* §. 1. *eod.*

enim bonorum debitoris morti comparatur (1). Ceterum ſi, ceſſione facta, ſocii egenum in ſocietatem inſtauratam receperint, ut operas præſtet, id quidem Romano juri non adverſatur (*a*).

Ex ſocietate oritur actio *pro ſocio* utrinque directa, perſonalis, bonæ fidei, famoſa, qua alter adverſus alterum experitur ad lucri communicationem, ſumtuum, & damni refectionem, & ad levis culpæ præſtationem (*b*). Levis autem culpa præſtatur in *concreto* ut ajunt, non in *abſtracto:* ſcil. ſocium eam diligentiam in ſocietatis rebus adhibere ſufficit, quam ſuis rebus præſtare ſolet: de ſe enim queri debet, qui parum diligentem ſocium ſibi adſumit (*c*). Quod ſi ſocius in ſocietate dolo malo fuerit verſatus, is quidem præter doli præſtationem, etiam infamia punietur (*d*). Societas ſiquidem jus quodammodo fraternitatis in ſe habere cenſetur; ut proinde ſocius beneficio competentiæ uti poſſit (*e*).

TI-

(a) *l. pen. C. h. t.*
(b) *l. Si quis 74. l. Pro ſocio 38. §. 1. ff. eod.*
(c) *l. Socius 72. ff. eod.*
(d) *l. 1. ff. de His, qui not. infam.*
(e) *l. Verum eſt 63. pr. ff. h. t.*
(1) Cic. pro Quint. *Cujus bona venierunt, cujus non modo ampliſſimæ fortunæ, ſed etiam victus, veſtitusque neceſſarius ſub præcone cum dedecore ſubjectus eſt, is non modo ex numero vivorum; ſed, ſi fieri poteſt, infra mortuos etiam amandatur.*

Digitized by Google

TITULUS XXVII.

De Mandato.

MAndatum (1) eſt *contractus conſenſualis*, *quo alterius negotium honeſtum gratis gerendum ſuſcipitur*. Mandatum itaque verſatur circa negotia honeſta: quod enim contra bonos mores initur, non eſt obligatorium. Proinde ſi quis ædem ſacram ſpoliandam, hominem vulnerandum, occidendum, ex mandato ſuſcepit, nihil mandati judicio conſequetur (*a*). Et ſi adoleſcens luxurioſus alicui mandet, ut meretrici pecuniam credat, vel pro ea fidejubeat, ſcienti non datur mandati actio (*b*). Præterea mandatum ſua natura gratuitum eſt, & mercedem non recipit: nam ex officio, & amicitia originem ducit, &, mercede interveniente, tranſit in locationem conductionem. *Honorarium* tamen, vel *ſalarium* admittere mandatum poteſt; quia honorandi, & remunerandi cauſa promittitur, vel, perfecto negotio, ultro datur magis in agnitionem virtutis, quam ut merces putetur (*c*). Salarium autem non petitur actione mandati, ſed extra ordinem cognitione Prætoris (*d*). Ceterum mandatum cum conſenſu conſiſtat, & per nuncium, & per epiſtolam ſuſcipi poteſt,

(a) *l. Si mandavero* 22. §. 6. *ff. h. t.*
(b) *l. Si vero* 12. §. 11. *ff. eod.*
(c) *l. Si remunerandi* 6. *pr. ff. h. t.*
(d) *l. Salarium* 7. *ff. l.* 1. *C. eod.*
(1) Mandatum a *manus datione* dicitur, quia dextras ſibi invicem amici porrigebant, veluti in fidei argumentum. Plaut. *Captiv. Act. II. ſc.* 3. Hinc Græci *mandare* ἐγχειρίζειν dixerunt; & *promiſſio manualis* occurrit apud ſequioris ævi ſcriptores.

eſt, & in diem differri, & ſub conditione contrahi (*a*).

Mandatum vel *generale* eſt, vel *ſpeciale*. Generale dicitur, ubi negotia generatim omnia alicui demandantur. Speciale vero certa tantum negotia, & certos actus reſpicit. Hoc requiritur, ubi mandantis ſingularis ratio vertitur, puta in cauſis famæ, ſtatus, reſtitutionis, hereditatis adeundæ, tranſactionis, & aliis hujuſmodi. Speciale mandatum vel *judiciale* eſt, vel *extrajudiciale*: illud habet procurator ad litem: hoc procurator ad negotia. Præterea vel expreſſum eſt, vel tacitum. *Expreſſum* fit conſenſu expreſſo, verbis, nuncio, vel litteris declarato. *Tacitum* facto ipſo ſuſcipitur. Ita ſi quis præſens & ſciens, negotia ſua ab altero geri, vel pro ſe fidejuberi, aut ſolvi patitur; vel ſi procurator artem profeſſus, litteris alterius acceptis, mandatum non declinat, & amolitur, tacitum mandatum contrahetur (*b*).

Jam vero mandatum quinque modis contrahitur, ſcilicet vel mandantis gratia tantum; vel mandantis, & mandatarii; vel aliena gratia tantum; vel mandantis, & aliena; vel mandatarii, & aliena cauſa: quod enim mandatarii tantum gratia contrahitur, magis conſilium eſt, quam mandatum: conſilium autem non eſt obligatorium (*c*), quamvis non expediat ei, cui datur. Tantum ſi in conſilio dolus interceſſit, de dolo actio competit (1) (*d*): adjuvari

(a) *l.* 1. §. 3. *ff. eod.*
(b) *l.* 1. §. 1. *l.* 6. §. 2. *ff. eod.*
(c) *l. Mandatum* 2. §. *ult. ff. h. t.*
(d) *l. Conſilii* 47. *ff. de R. J.*
(1) Cic. ad Attic. l. XVI. ep. 7. *Quid debet, qui conſilium dat, præſtare, præter fidem?*

juvari nos quippe, non decipi beneficio oportet (*a*). Fraudulentum autem conſilium cenſetur, ubi lucri captandi cauſa datum ſit. Ita ſi, cum ſcires, Mævium facultatibus labi, tui gratia adfirmaſti mihi, *idoneum eſſe*, de dolo adverſum te judicium dandum, reſpondit Cajus (*b*).

Mandantis tantum gratia ſit mandatum, ſi tibi mandem, ut fundum mihi emas (*c*). Mandantis, & mandatarii gratia contrahitur mandatum, ubi Mævio mandaveris, ut pecuniam ſub uſuris ei crederet, qui in rem tuam eam mutuaretur (*d*). Aliena cauſa tantum committitur, ubi quis Mævio mandaverit, ut Titio fundum emat. Mandatum fit mandantis, & aliena gratia, ſi tibi mandavero, ut mihi, & Sejo fundum emas. Poſtremo mandatarii, & aliena cauſa contrahitur mandatum, ubi quis mandatario mandet, ut pecuniam ſub uſuris Titio credat (*e*). In hac autem poſtrema mandati ſpecie dubitatum apud veteres fuit, an mandans mandati teneretur: potius enim conſilium videtur, quam mandatum: mea quippe non intereſt, te pecuniam ſub uſuris Titio credere. Verum obtinuit Celſi ſententia, obligatorium eſſe hujuſmodi mandatum: pecuniam enim, niſi mandaviſſem, non crediditſes. Atque in hanc ſententiam ivit Ulpianus (*f*).

Quemadmodum non ſuſcipere mandatum cuique licet, ita ſuſceptum implere quiſque debet (*g*). In mandato vero implendo mandatarius fines mandati exce-

(a) *l. In commodato* 17. §. 3. *ff. Commod.*
(b) *l. Quod ſi* 8. *ff. de Dol. mal.*
(c) §. 1. *h. t.*
(d) §. 2. *h. t.*
(e) *d.* §. 3. *h. t.*
(f) *l. Si remunerandi* 6. §. 4. *ff. h. t.*
(g) §. 11. *h. t.*

excedere non poteſt. Quod ſi is mandati fines exceſſerit, ex Sabinianorum ſententia nullam mandati habet actionem, etiamſi paratus ſit, quod exceſſit, remittere (*a*). Ejus ſententiæ ratio inde petebatur, quod qui mandatum excederet, aliud agere videretur (*b*). Sed prævaluit benignior Proculi ſententia, qua mandatario datur contraria mandati actio uſque ad pretium præfinitum (*c*). Quod ſi mandatarius minoris rem emerit, quam fuit mandatum, utrimque naſcitur mandati actio, quia mandati fines mandatarius non exceſſit; & meliorem mandantis cauſam fieri poſſe, reſpondit Paulus (*d*). Qui enim fundum ſibi emi mandavit centum aureis, utique mandaſſe intelligitur, ut minoris, ſi fieri poſſet, emeretur.

Pluribus porro modis mandatum ſolvitur. Et primum quidem revocatione mandantis tempeſtive facta tollitur mandatum. Tempeſtive autem revocatur mandatum, ubi mandatarius rem mandatam non inchoaverit, puta ſi litem non fuerit conteſtatus, ſi nihil a debitore exegerit (*e*), ſi nullos ſumtus mandati exequendi cauſa fecerit; alias aget adverſus mandantem actione mandati; ne damno adficiatur, qui ſuſcepit mandatum, ut ait JCtus (*f*).

Quemadmodum vero mandatum, re integra, a mandatore revocari poteſt, ſic & a mandatario tempeſtive mandato impune renunciatur; ita quidem ut poſſit mandator vel per ſe, vel per alium expedire negotium. Quod ſi mandatarius ſuſceptum mandatum non

(a) *l. Præterea 3. §. 2. ff. eod.*
(b) *l. Diligenter 5. pr. ff. eod.*
(c) *l. Sed Proculus 4. ff. eod.*
(d) *l. Diligenter 5. §. ult. ff. eod.*
(e) *l. Si delegatio 3. C. de Novat.*
(f) *l. Si mandatum 15. ff. h. t.*

non impleverit, vel ei tempeſtive non renunciaverit, tenetur mandati in id, quod intereſt. Tantum excuſari mandatarium placuit, ſi vel mandatum non impleverit, vel renunciaverit intempeſtive, ubi juſta cauſa interceſſerit; veluti ſi adverſa valetudo eum divexet, vel capitales inimicitiæ inter ipſum, & mandantem ſubortæ ſint (*a*).

Denique ſolvitur mandatum, re integra, morte tam mandatoris, quam mandatarii (*b*). Itaque ſi is, qui mandavit juriſdictionem, deceſſerit, antequam a mandatario res geri cœperit, ſolvi mandatum, Labeo reſpondit (*c*). Sed ſi mandatarius ignorans mandatorem deceſſiſſe, mandatum fuerit executus, utilitatis cauſa, i. e. ex æquo & bono, contra ſummam juris rationem, ei datur actio mandati in heredem, quia juſta & probabilis ignorantia ei nocere non debet (*d*). At, re non integra, mandatum morte mandatoris non ſolvitur. Ita, lite conteſtata, mandatum litis perſequendæ morte mandantis non finitur: per litis enim conteſtationem procurator fit dominus litis (*e*). Idem porro juris eſt, ſi mandatum ſit in rem mandatarii, ut ſi ei ceſſæ ſint actiones donationis, vel venditionis cauſa, quo caſu conſtituitur procurator in rem ſuam (*f*). Poſtremo ſi mandatum conferatur in tempus, quo mandator deceſſerit, impleto mandato, mandatario actio mandati dabitur (*g*).

Duplex ex mandato actio oritur, directa, & con-

(a) §. 11. *h. t.*
(b) *l. Inter cauſas* 26. *pr. l. Si quis* 27. §. 3. *ff. h. t.*
(c) *l. Et quia* 6. *ff. de Juriſdict.*
(d) *l. Mandatum* 57. *l. Si præcedente* 58. *ff. eod.*
(e) *l. Nulla* 23. *C. de Procurat.*
(f) *l.* 1. *C. de O. & A. l. Illam C. de Donat.*
(g) *l. Si vero* 12. §. *ult. ff. h. t.*

contraria. Actio directa datur mandanti adverſus mandatarium, ut mandatum ſecundum præſcriptam formam exequatur: voluntatis eſt enim ſuſcipere mandatum, neceſſitatis conſummare (*a*). Eadem actione petit mandator, ut mandatarius reſtituat id omne, quod occaſione mandati conſecutus eſt, & præſtet dolum, & culpam latam (*b*). De ſe enim queri debet, qui hominem negligentem elegit. Quod ſi vero mandatarius ſe obtulit, vel honorarium pactus eſt (1), vel artis peritiam profitetur, ut procurator judicialis, leviſſimam etiam culpam præſtabit (*c*). Iſthæc autem actio famoſa eſt ob dolum: qui enim ſub amici nomine decipit, infamiæ ſtigmate notandus eſt (*d*) (2).

Contraria actione mandatarius a mandante petit ſumtus bona fide in rem ipſius factos, veluti ſumtus itineris, vel litis ſuſceptæ, eorumque uſuras (*e*): nemini enim officium ſuum debet eſſe damnoſum (*f*). Eadem actione petit mandatarius in genere,

---

(a) *l. In commodato* 17. §. 3. *ff. Commod.*
(b) *l. Si procuratorem* 8. §. 10. *ff. h. t.*
(c) *l. Procuratorem* 11. *C. eod.*
(d) *l. Furti* 6. §. 5. *ff. de His, qui not. infam.*
(e) *l. Si vero* 12. §. 9. *ff. h. t.*
(f) *l. Si ſervus* 61. §. 5. *ff. de Furt.*
(1) Apposite Seneca de *Benefic. VI.* 12. *Multum intereſt, utrum aliquis nobis beneficium det ſua cauſa; an noſtra; an ſua, & noſtra.*
(2) Cicero pro Roſcio Amer. *Itaque mandati conſtitutum eſt judicium non minus turpe, quam furti: credo propterea, quod, quibus in rebus ipſi intereſſe non poſſumus, in his operæ noſtræ vicaria fides amicorum ſupponitur; quam qui lædit, oppugnat omnium commune præſidium, &, quantum in ipſo eſt, diſturbat vitæ ſocietatem. In minimis, privatiſque rebus etiam negligentia in crimen mandati, judiciique infamiam revocatur.*

re, ut indemnis ſervetur, licet inceptis eventus non reſponderit (*a*).

TITULUS XXVIII.

De Obligationibus, quæ quaſi ex contractu naſcuntur.

Aliæ ſunt obligationes, quæ ex contractu deſcendunt; aliæ, quæ quaſi ex contractu naſcuntur. Eſt quaſi-contractus *factum aliquod, vel negotium obligationem, & actionem producens ex conſenſu duorum, pluriumve præſumto, ſeu ficto*. In eo a contractu differt quaſi-contractus, quod contractus perficitur expreſſa voluntate inter ſcientes, & volentes; quaſi-contractus vero perficitur ex præſumtione inter ignorantes. Quaſi-contractus ſpecies ſex a Triboniano heic enumerantur, *Negotiorum geſtio*, *Tutelæ adminiſtratio*, *Rei communio*, *Communio hereditatis*, *Hereditatis aditio*, & *Indebiti ſolutio*.

Negotiorum geſtio eſt quaſi contractus, quo quis abſentis, & ignorantis negotia gerit ſine mandato. Ex hoc geſtu ultro citroque naſcitur actio *negotiorum geſtorum*, directa ſcil. & contraria (*b*). Actio directa datur domino, cujus negotium geſtum eſt, eique, cujus intereſt, adverſus negotiorum geſtorem, ut geſtionis reddat rationes, præſtetque culpam etiam leviſſimam (*c*). In hoc judicium veniunt non ſolum, quæ geſta ſunt negotia; ſed & quæ inchoata relicta ſunt, quæque connexa negotio non ſunt ſuſcepta (*d*). Leviſſimam autem culpam ideo negotiorum

(a) *l. Etiamſi* 4. *C. h. t.*
(b) *l. Si quis* 2. *ff. h. t.*
(c) *l. Actio* 47. *pr. ff. eod.*
(d) *l. Nam & Servius* 21. §. 2. *ff. eod.*

tiorum geſtor præſtare compellitur, quia ſponte ſe obtulit alienis negotiis, & alium fortaſſe diligentiorem removit. Ceterum etiam caſum præſtabit negotiorum geſtor, ubi novum negotium, quod non fuit ſolitus abſens facere, geſſit; veluti ſi aliquam novam negotiationem iniverit (*a*) Interdum tamen ex Labeonis ſententia in negotiorum actione dolus tantum verſatur. Ita ſi affectione coactus, ne bona mea diſtrahantur, negotiis te meis obtuleris, dolum dumtaxat præſtabis (*b*).

Contraria actione experitur geſtor adverſus eum, cujus negotia geſta ſunt, ut conſequatur impenſas neceſſarias, & utiles in rem ipſius factas, & ut ſervetur indemnis (*c*). Quo autem iſthæc actio poſſit inſtitui, requiritur, ut negotium geratur ſponte ſine mandato; utque non ſit geſtum, invito, & obſtrepente domino, nec intuitu pietatis, & animo donandi (*d*). Ita Titium, ſi pietatis reſpectu ſororis aluit filiam, actionem hoc nomine contra eam non habere, reſpondit Modeſtinus (*e*). Nihil vero refert, utrum negotium felicem, an infauſtum exitum habuerit; ſatis enim eſt, illud utiliter eſſe cœptum. Quare ſi vis aquarum aggeres iterum rupit, vel ventus poſterior tegulas iterum dejecit, id negotiorum geſtori non nocebit (*f*). Hæc actio fuit recepta utilitatis cauſa ob longas, & inopinatas peregrinationes, morboſque peregre degentium (*g*). Nemini autem officium debet eſſe damnoſum (*h*). Tu-

(a) *l. Si negotia* 11. *ff. eod.*
(b) *l. Ait Prætor* 3. §. 9. *ff. eod.*
(c) *l. Si quis* 25. *l. Cum pecuniam* 43. *ff. eod.*
(d) *l. Si quis ult. C. eod.*
(e) *l. Ex duobus* 27. §. 1. *ff. eod.*
(f) *l. Sed an ultro* 10. §. 1. *ff. eod.*
(g) *l.* 1. *ff. eod.*
(h) *l. Si ſervus* 61. §. 5. *ff. de Furt.*

Tutelæ adminiſtratio eſt quaſi-contractus, quo tutor pupillo, & is invicem tutori obligatur (*a*). Sane pupillus non contrahit cum tutore, in quem incidit; quique interdum ipſi invito datur (*b*): jus tamen icivile conſenſum ſupplet, ac præſumit, in tutore quidem ex ejus adminiſtratione; in pupillo vero ex eo, quod quiſque præſumitur conſentire in ſuam utilitatem (*c*). Ex hac tutelæ adminiſtratione duplex actio oritur, directa, & contraria. Directa datur pupillo adverſus tutorem, ut reddat rationes geſtæ tutelæ, & reſtituat, ſi quid habet ex rebus pupillaribus (*d*). Tutor autem non modo dolum, latamque culpam, ſed & levem præſtabit: quod favore pupillorum receptum (*e*). Imo ſi ſe obtulit, leviſſimæ culpæ tenebitur (*f*). Hoc porro judicium, niſi finita tutela, inſtitui non poteſt. Illud autem in hac ſpecie animadverti debet, bona tutorum a die ſuſceptæ tutelæ obligari pupillis pignoris titulo (*g*).

Contrariam tutelæ actionem inſtituit tutor adverſus pupillum, ſi impenderit aliquid in rem pupilli, & ut liberetur ab obligationibus, ubi rem ſuam creditoribus ejus obligaverit (*h*). Exemplo harum actionum datur etiam *utile curationis judicium*, ſive actio *adminiſtratæ curationis*. Ea competit minori adverſus curatorem ad rationes reddendas, & curatori adverſus minorem ad indemnitatem.

Rei

(a) §. 2. *h. t.*
(b) *l. ult. ff. Rem pup. ſalv. for.*
(c) *l. Si quis* 5. §. 1. *ff. de O. & A.*
(d) §. *ult. Inſt. de Atil. tutor.*
(e) *l. Quidquid* 7. *C. Arbitr. tutel.*
(f) *l. Qui injuriæ* 53. §. 3. *ff. de Furt.*
(g) *l. Pro officio* 20. *C. de Adminiſtr. tutor.*
(h) §. 2. *h. t.*

Rei communio eſt quaſi-contractus, quo duo, pluresve in ſocietatem rei ſingularis incidunt ſine conſenſu; veluti ſi duobus eadem res donata, vel legata ſit (*a*). Ex hoc negotio, ſicut ex quacumque alia communione oritur actio *communi dividundo*, quæ datur ſocio adverſus ſocium, ut res communis dividatur, & perſonales præſtationes obtineantur. Hinc ſi ratione communionis alter ſociorum in rem communem aliquid impenderit, ſi ſervum neceſſarium emerit, domum communem ædificarit; & contra, ſi ex re communi fructus unus ſolus percepe rit, vel ſi quid damni in re communi dederit dolo, aut culpa, judicio communi dividundo perſonalium præſtationum nomine agitur. Non enim quæritur de rerum diviſione, ſed quid unus alteri præſtare ſit obligatus (*b*). Iſthæc actio mixta eſt, perpetua, & duplex (*c*): uterque enim actor eſt, & reus. Ille vero pro actore habetur, qui prior provocavit ad judicium (*d*).

Hereditatis communio eſt quaſi-contractus, quo inter duos, pluresve heredes hereditas ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato communis eſt (*e*). Ex hac communione oritur actio familiæ erciſcundæ mixta, & duplex ex lege XII. tabularum deſcendens, quæ competit heredi adverſus coheredem ad diviſionem rerum hereditariarum, & perſonales præſtationes (*f*). Adverſus coheredem autem hæc actio competit: nam alias contra eum, qui titulo ſingulari poſſidet res hereditarias, rei vindicatione experimur: adverſus eum vero,

(a) §. 3. *h. t.*
(b) *l.* 1. *ff. Commun. divid.*
(c) §. 20. *Inſt. de Action.*
(d) *Nihil autem* 2. §. 1. *ff. Comm. divid.*
(e) §. 4. *h. t.*
(f) *l.* 1. *pr. l. Item Labeo* 22. §. 4. *ff. Famil. erciſc.*

vero, qui pro herede, vel pro poſſeſſore poſſidet, hereditatis petitione agitur (*a*).

Per Hereditatis aditionem heres obligatur legatariis, ac fideicommiſſariis ad præſtanda legata, & fideicommiſſa. Heres enim nullum negotium cum legatariis, & fideicommiſſariis geſſit. Ex contractu itaque non poteſt obligari. Cum legatariis tamen, & fideicommiſſariis, ubi adiit hereditatem, contraxiſſe videtur (*b*). Proinde actione ex teſtamento pulſatus non modo legata, & fideicommiſſa præſtabit; ſed etiam damna leviſſima culpa illata (*c*). Iſthæc actio non pertinet ad creditores, quibus heres ex vero contractu obligatur. Cum enim is ſuccedat in jus univerſum defuncti, eadem actione convenitur, qua adverſus defunctum foret actum. Neque pro nobis tantum, & contra nos, ſed pro heredibus, & contra heredes contrahimus (*d*).

Poſtremo qui non debitam pecuniam errore *facti* ſolutam accepit, quaſi ex mutuo tenetur condictione indebiti. Qui enim ob errorem, quod non debebat, ſolvit, tacite contraxiſſe videtur, ut repetat, ſolutum. Errans ſiquidem non conſentit ſolutioni; & nemo præſumitur velle locupletari ex aliena jactura (*e*). Condictio autem indebiti ceſſat in iis cauſis, in quibus lis inficiando creſcit in duplum (*f*), veluti in lege Aquilia, in legato ad pias cauſas, in depoſito miſerabili. Id inde fortaſſe factum, quod in iis ſpeciebus non tam indebitum

(a) *l. Heredes 25. §. 7. ff. eod.*
(b) *l. Apud Julianum 3. §. 3. d. Quib. ex cauſ. in poſſeſſ. eat.*
(c) *l. Cum res 47. §. 5. ff. de Legat. 1.*
(d) *l. Ex contractibus 49. ff. de O. & A.*
(e) *l. Hæc condictio 66. ff. de Condict. indeb.*
(f) *§. ult. h. t.*

bitum quis ſolvere videtur, ſed ſibi conſulere propter periculum inficiationis, & quaſi de dubio litis eventu tranſigere: quod autem tranſactionis cauſa datur, repeti non poteſt (*a*).

TITULUS XXIX.

Per quas perſonas nobis Obligatio tollitur.

ADquiritur nobis obligatio & per nos ipſos, & per eos, quos habemus in poteſtate, filiosf. ſcil., & ſervos. Per filiosf. quidem adquirimus omnes actiones, quæ deſcendunt ex peculio profectitio: quæ enim ex caſtrenſi, vel quaſi-caſtrenſi promanant, eas filiif. ſibi parant, quaſi patresf. proprium patrimonium habentes (*b*). Actionum vero, quæ ex peculio adventitio veniunt, ſibi proprietatem, patri uſumfructum filiif. adquirunt (*c*). Illud autem hac in re animadvertendum eſt, initium ſemper contractus ſpectari oportere: proinde filius-familias ſub conditione ſtipulatus, ſi emancipatus fuerit, ac deinde extiterit conditio, patri actio competit (*d*).

Per ſervos etiam obligatio nobis adquiritur, etiamſi fructuarii ſint. Hinc ſervi diſpenſatores ſi pecuniam noſtram foenori collocaverint, nobis obligationes adquirunt. Quod ſi fuerint communes ſervi, pro parte dominica obligationes adquirunt, niſi unius

---

(a) *l. In ſumma* 65. §. 1. *ff. de Condict. indeb.*
(b) *l. Denique* 3. §. 10. *ff. de Minor.*
(c) *pr. h. t.*
(d) *l. Si filiusf.* 78. *pr. ff. de V. O.*

ſi unius juſſu, aut uni nominatim ſtipulentur (*a*) (1).

Per procuratorem vero, niſi cedatur, non adquiritur obligatio. Tantum ſi mandatarius, uti nudus miniſter nomine mandantis, vel ex re illius contraxit, mandanti obligationem adquiret. Quare ſi nummos meos tuo nomine dedero veluti tuos, abſente te, & ignorante, ex ſententia Ariſtonis, & Juliani, tibi obligationem adquiri, ait Ulpianus (*b*). Et ſi procuratori præſentis fuerit cautum, ex ſtipulatu actionem utilem domino competere, idem JCtus reſpondit (*c*).

TITULUS XXX.

Quibus modis tollitur Obligatio.

OMnis obligatio vel ipſo jure tollitur, vel per exceptionem. Ipſo jure tollitur obligatio, cum tota extinguitur ratione ſubſtantiæ ſine auxilio magiſtratus. Nihil enim tam naturale eſt, quam eo genere quidque diſſolvi, quo fuit colligatum. Ita verbo-

(a) §. *ult. h. t.*
(b) *l. Certi 9. §. 8. ff. de Reb. credit.*
(c) *l. Si procuratori 79. ff. de V. O.*
(1) Si ſervus communis dixit: *dominis meis*, nomine appellativo, pro parte dominica adquiret. Si vero nominibus propriis, puta, *Cajo*, & *Sejo dominis meis*, partes fient *æquales*: & ſi alter non poteſt ſuam partem adquirere, alter ſolus totum habebit. Quod ſi unius juſſu fuerit ſervus ſtipulatus, illi tantum adquiret, qui juſſit §. 3. *h. t.*

borum obligatio verbis tollitur; & nudi conſenſus obligatio contrario conſenſu diſſolvitur. Per exceptionem tollitur obligatio, cum, manente ejus ſubſtantia, effectus obligationis impeditur (a). Nihil vero intereſt, ipſo jure quis actionem non habeat, an ea per exceptionem infirmetur (b). De exceptionibus infra: heic tantum modos enarrabimus, quibus ipſo jure tollitur obligatio. Eorum autem quatuor celebrioris fortaſſe uſus Tribonianus heic recenſet, ſcil. *Solutionem*, *Acceptilationem*, *Novationem*, & *contrarium conſenſum*.

Solutio eſt *naturalis præſtatio ejus, quod debetur*. Solutione itaque vinculum obligationis ſolvitur. Nec refert, utrum redditum, aut inductum ſit, nec ne chirographum (c). Tantum ſolutionem aſſeveranti probationis onus incumbit. In qua ſane ſpecie debitori competit condictio chirographi, vel actio ad exhibendum (d). Jam vero ſolutione obligatio tollitur, ubi ſolvatur, quod debetur: aliud pro alio invito creditori ſolvi non poteſt (e). Ceterum ſi debitor reſtituere nequeat, nec dolo fecit, quominus poſſet, is quidem, quanti adverſarii interfuit, condemnabitur (f). Illud etiam recte reſcripſere Principes, ſolutionem ipſi creditori fieri debere, aut ei, cui is mandavit, (g) totumque debitum ſimul, & ſemel ſolvi oportere, reſponderunt Prudentes. Particularis enim ſolutio multa habet incommoda,

(a) *l. Nihil* 35. *ff. de R. J.*
(b) *l. Nihil* 112. *ff. eod.*
(c) *l. Nihil intereſt* 4. *l. Inductum* 22. *C. de Solut.*
(d) *l. ult. C. eod. l. ult. C. ad Exhib.*
(e) *l. Mutuum* 2 §. 1. *ff. de Reb. cred.*
(f) *l. Qui reſtituere* 68. *ff. de Rei vindicat.*
(g) *l. Nihil* 4. *C. de Solut.*

da, & nexus obligationis eſt individuus, neque partes debentur, ſed totum (*a*) Tantum ſi creditor conſenſerit; vel ab initio ita conventum, ſolutio per partes fieri poteſt (*b*). Ceterum ſolutio loco idoneo, & tempore niſi fiat, debitorem non liberabit, puta in domicilio creditoris, vel ubi conventum (*c*). Si vero ante tempus conventum debitor ſolverit, liberabitur, ubi dies favore rei fuerit adjectus: quod ſi favore creditoris adjectus ſit dies, liberatio non continget (*d*).

Solutio autem fieri poteſt non modo ab ipſo debitore, ſed & a quolibet alio; ſive is pro ſciente, ſive pro ignorante, ſive etiam pro invito ſolverit (*e*). Neque obſtat, quod invito beneficium non datur; naturalis enim, ac civilis ratio ſuaſit, alienam conditionem etiam ignorantis, & inviti meliorem nos facere poſſe (*f*). Ceterum ubi quis pro nolente & ſpecialiter prohibente ſolverit, fruſtra repetit ſolutum (*g*).

Solutione porro pro reo principali facta, etiam ii, qui pro ipſo intervenerunt, liberantur. Atque hoc eſt, quod ait Ulpianus (*h*), in omnibus ſpeciebus liberationum etiam acceſſiones liberari, puta adpromiſſores, hypothecas, pignora. Id inde factum, quia fidejuſſores, & pignora ſunt tantum acceſſiones obligationum: ſublata vero principali obligatione, tollu-

(a) *l. Plane* 3. *ff. Fam. ercisc.*
(b) *l. Tutor* 41. §.1. *ff. de Uſur.*
[c] *l. Vinum* 22. *ff. de Reb. cred. l. Is*, *qui* 9. *ff. de Eo*, *quod cert. loc.*
(d) *l. Eum* 41. §. 1. *ff. de V. O.*
(e) *pr. h. t.*
(f) *l. Solvendo* 39. *ff. de Neg. geſt.*
(g) *l. Si pro te* 40. *ff. Mandat. l. ult.* C. *de* N. G.
(h) *l. In omnibus* 43. *ff. de Solut.*

litur acceſſoria; uti, ſublata actione per ſortis ſolutionem, vel per præſcriptionem, de uſuris, vel fructibus judex non cognoſcit (*a*).

Tollitur etiam obligatio acceptilatione. Acceptilatio eſt ſtipulatio, qua creditor animo diſſolvendæ obligationis debitori interroganti, reſpondet, ſe debitum accepiſſe, quod revera non accepit (*b*). Formula imaginaria hujus ſolutionis hæc fuit: *Mævi, acceptum-ne fers, quod tibi debeo ex ſtipulatu?* reſp. *acceptum fero* (*c*). Hinc apparet, acceptilationem in eo a ſolutione differre, quod ſolutione naturaliter, acceptilatione civiliter ſolvitur obligatio (*d*). Acceptilatione autem tantum eæ obligationes tolluntur, quæ verbis contrahi ſolent: juri enim conſentaneum eſt, verbis contractam obligationem verbis diſſolvi (*e*). Tantum ſi quævis alia obligatio acceptilatione ſublata ſit, reus non ipſo jure, ſed per exceptionem taciti pacti de non petendo, vel per exceptionem doli mali liberabitur (*f*). Ceterum quemadmodum, quod debetur, ſi creditor conſenſerit, pro parte recte ſolvitur; ita & acceptilatio in parte debiti fieri poteſt (*g*). Id tamen locum habet, ſi res diviſionem recipiat: ubi vero res eſt individua, veluti ſi ſervitus debeatur, acceptilatio pro parte nullius eſt momenti (*h*).

Præter vulgarem hanc acceptilationem eſt & Aqui-

(a) *l. Eos 26. C. de Uſur.*
(b) §. 1. *h. t.*
(c) *l. Pluribus 6. ff. de Acceptilat.*
(d) *l. Verborum 107. ff. de Solut.*
(e) *l. Nihil ff. de R. I.*
(f) *l. Si accepto 19. pr. ff. de Acceptilat.*
(g) *l. Pars ſtipulationis 9. ff. eod.*
(h) *l. Et per jusjurandum 13. §. 1. ff. eod.*

quiliana, qua omnes ex quacumque cauſa obligationes tolluntur. Ejus auctor Gallus Aquilius, cautionum artifex, cujus prudentiam populus Romanus in cavendo, non in decipiendo ſemper perſpexit (*a*). Nimirum ceteræ obligationes convertuntur in verborum obligationes per ſtipulationem Aquilianam, deinde acceptilatione tolluntur. Hujuſce acceptilationis formulam exhibet heic Tribonianus (*b*): *Quidquid te mihi ex quacumque cauſa dare, facere, oportet, tantam pecuniam dare ſpondes? ſpondeo*. Tum ſubjicitur acceptilatio: *Quod tibi me daturum ſpopondi, acceptum ne habes? acceptum habeo*. Itaque ad Aquilianam ſtipulationem tantum pertinet definitio acceptilationis a Modeſtino procuſa; qua acceptilatio dicitur *liberatio per mutuam interrogationem, qua utriuſque contingit ab eodem nexu abſolutio* (*c*).

Præterea obligatio novatione tollitur. Ea definitur prioris debiti in aliam obligationem vel civilem, vel naturalem transfuſio, atque translatio (*d*). Adeo autem novatione perimitur prior obligatio, ut, novatione legitime facta, fidejuſſores, pignora, hypothecæ, quæ acceſſerant priori obligationi, liberentur, & uſuræ non currant (*e*). Quin & per novationem prior obligatio tollitur, etſi poſterior inutilis ſit. Hinc ſi creditor, quod ſibi debetur a Titio, ſtipuletur a pupillo ſine tutoris auctoritate, prior debitor liberatur, & poſterior obligatio nulla eſt (*f*).

Novatio autem fit, vel manente eodem credito-
re,

---

[a] *Cic. pro Cæcin.* 27.
(b) §. 2. *h. t.*
(c) *l.* 1. *ff. de Acceptilat.*
(d) *l.* 1. *ff. de Novat.*
(e) *l. Novatione* 18. *ff. eod.*
[f] §. 3. *h. t.*

re, ac debitore; vel mutata perſona ſeu creditoris, ſeu debitoris. Ubi perſona creditoris, ac debitoris manet, novatio fit, vel ſi obligationis ſpecies mutatur, veluti ſi quod ex emto debetur, tamquam ex mutuo in creditum deducitur; vel ubi nova qualitas adjicitur, veluti dies, conditio, correus, fidejuſſor, pignus, aut pœna; vel cum antiqua qualitas detrahitur (*a*): modo tamen inter contrahentes id nominatim actum ſit, ut in ſecundam obligationem iretur (*b*) (1). Cum vero perſonarum mutatio fit, ea triplici modo contingit, vel mutata perſona creditoris, vel debitoris (quæ novationis ſpecies vocatur *delegatio*) vel mutata utriuſque perſona. Delegatione porro debitor alium pro ſe reum, ſeu expromiſſorem dat creditori per ſtipulationem. Delegare enim eſt vice ſua alium reum dare creditori, vel cui creditor juſſerit (*c*). Illud autem certum eſt, quod, facta delegatione, prior debitor liberatur, quamvis delegatus non ſit ſolvendo, vel naturaliter tantum obligetur (*d*).

Quem-

(a) *l. Si ex pretio 6. C. Si cert. pet.*
(b) *l. ult. C. de Novat.*
(c) *l. Delegare 11. ff. eod.*
(d) §. 3 *h. t.*

(1) Jure Pandectarum obligatio novabatur, ſi inter contrahentes hoc actum eſſet, ut novaretur. *l. Si Stichum 8. §. ult. l. Fundum 38. l. Aliam 29. ff. de Novat* Is autem expreſſus novandi animus non ſemper, nec neceſſario requirebatur, nec excludebantur conjecturæ voluntatis §. 3. *h. t.* Sed quia interdum dubium erat, utrum novandi animo id actum eſſet, voluit Juſtinianus, ut prior obligatio non novaretur, niſi nominatim hoc actum eſſet novandi animo *l. ult. C. de Novat.* unde deſumtus eſt §. 3. *Inſtit. h. t.*

Quemadmodum vero acceptilatio ad verborum obligationem pertinet, novatio ad omnis generis contractus; ita mutuus diſſenſus proprius eſt modus ſolvendi contractus conſenſuales. Nihil enim tam naturale eſt, quam eo genere quidque diſſolvere, quo fuit colligatum (*a*). Per mutuum autem diſſenſum fit negotii diſſolutio, modo res adhuc ſit integra, veluti ſi res nondum tradita in emtione venditione, & pretium nondum ſolutum (*b*). Si enim, tradita merce, & pretio numerato, emtio venditio ſolvatur, novus potius contractus iniri videbitur (*c*).

Præter modos quatuor enumeratos alii adhuc ſunt, quibus obligatio ipſo jure tollitur. Ita tollitur obligatio Confuſione, i. e. concurſu juris debitoris, & creditoris in eadem perſona, ut ſi debitor creditori heres extiterit (*d*). Itidem perimitur obligatio compenſatione, per quam inutiles ſolutionum ambages declinantur (*e*). Quin & rei interitu debitor ipſo jure liberatur, modo dolus, vel culpa debitoris abſit, veluti ſi interpellatus non dederit (*f*). Huc referri poteſt obſignatio & depoſitio pecuniæ debitæ ſollemniter facta (*g*); vis, & invaſio (*h*); alienarum litium redemtio contra legem Anaſtaſianam (*i*); & actio-

---

(a) *l. Nihil 35. ff. de R. J.*
(b) *l. Prout 86. ff. de Solut.*
(c) *l. 1. C. Quand. lic. a contr. diſced.*
(d) *l. Stichum 95. §. 2. ff. de Solut.*
(e) *l. l. Ideo 3. ff. de Compenſat.*
(f) *l. Cum res legata 47. §. 6. ff. de Legat. 1.*
(g) *l. Obſignatione 9. C. de Solut.*
(h) *l. Extat 13. ff. Quod met. cauſ. l. Si quis 7. C. Unde vi.*
(i) *l. Per diverſas 22. C. Mandat.*

actionum ceſſio potentiori facta: aperta enim credentium videtur eſſe voracitas, qui alios actionum ſuarum redimunt exactores, uti reſcripſerunt Arcadius, Honorius, & Theodoſius (*a*).

IN-

(a) *l. Si cujuſcumque* 2. *C. Ne lic. potentior.*

INSTITUTIONUM JUSTINIANI

LIBER IV.

TITULUS I.

De Obligationibus, quæ ex delicto naſcuntur,

HActenus de obligationibus diſputavimus quæ ex contractibus, vel quaſi contractibus naſcuntur: jam obligationes aggredimur, quæ ex delicto, vel quaſi-delicto oriuntur. Delictum eſt *factum illicitum* ſponte commiſſum, quo quis ad reparationem damni, & ſimul ad pœnam ex lege obligatur. Sine facto delictum non intelligitur: obligatio enim ad pœnam *ex re*, i. e. ipſo maleficio naſcitur: & cogitationis pœnam nemo patitur (*a*) (1).

De-

(a) *l. Cogitationis* 18. *ff. de Pœn. l. Vulgaris* 21. §. 7. *ff. de Furt.*

(1) Diverſa eſt ratio conatus, qui in levioribus delictis negligitur; in gravioribus extra ordinem punitur; in graviſſimis pœna ordinaria plectitur. *l.* 1. Ita interpellatores matrimoniorum etſi effectu ſceleris potiri non poſſunt propter voluntatem pernicioſæ libidinis extra ordinem puniuntur *l.* 1. *pr. ff. de Extraord. criminib.* & qui hominis occidendi cauſa cum telo ambulat, lege Cornelia de ſicariis tenetur *l.* 1. *ff. ad l. Cornel. de Sicar.* Videſis Bynkershoëkium *Obſerv. III.* 10.

Delictum vel *verum*, eſt, vel *quaſi-delictum*. Illud ex dolo; hoc ex culpa promanat. Rurſus aliud *privatum* eſt, aliud *publicum*. Privatum privatos magis lædit, quam remp., & ex eo actio illi datur, cujus intereſt (*a*). Publicum delictum eſt, quod cuilibet accuſare licet, & in quo certa & ordinaria pœna conſtituta eſt legibus publicorum judiciorum (*b*).

Ex privato delicto vel *civiliter* agi poteſt, vel *criminaliter* (*c*). Civiliter agitur, ubi proprium commodum ſpectatur, puta ut pecunia adjudicetur actori, cujus intereſt (*d*). Criminaliter vero agitur, ubi petitur, ut pœna detur, vel multa cedat fiſco: alterum enim utilitas privatorum, alterum vigor publicæ diſciplinæ poſtulat (*e*). Privatum delictum vel *ordinarium* eſt, vel *extraordinarium*. Ordinarium dicitur, cujus pœna certa eſt, & definita. Extraordinarium eſt, cujus pœna judicis religioni remittitur. Hujuſmodi eſt delictum expilatæ hereditatis, ſtellionatus, & alia id genus (*f*). Ordinaria delicta privata quatuor numerantur, Furtum, Rapina, Damnum injuria datum, & Injuria.

Furtum eſt *contrectatio fraudulosa lucri faciendi cauſa, vel ipſius rei, vel etiam uſus ejus, poſſeſſioniſve, quod lege naturali prohibitum eſt admittere* (*g*). Itaque ſine contrectatione, i. e. apprehenſione corporali rei alienæ furtum non committitur

[a] *l. Prætor 7. §. 1. ff. de Injur. l. ult. ff. de Privat. delict.*
[b] *l. 1. ff. de Public. judic.*
[c] *d. l. ult. ff. de Priv. del.*
(d) *d. l. Prætor 7. §. 1. ff. de Injur.*
(e) *l. Locatio 9. § 5. ff. de Publican.*
(f) *l. 3. ff. de Extraordinar. crimin. l. 2. ff. Stellionat.*
(g) *§. 1. h. t.*

tur (*a*) (1). Proinde damnata fuit veterum quorumdam ſententia, qui putabant, etiam fundi, locive furtum fieri (*b*); quorum e numero fuiſſe Sabinum, teſtatur Gellius (*c*). Non ſolum autem rerum mobilium, vel ſe moventium furtum committitur, ſed etiam liberorum hominum, veluti ſi filiusf. patri ſubreptus ſit; quo nomine patri datur actio furti (*d*), vel actio *de plagio* ex lege Fabia de plagiariis (*e*). Eſt autem plagium liberi hominis, vel ſervi alieni ſuppreſſio.

Præterea contrectatio rei alienæ *fraudulosa* eſſe debet: furtum enim ſine affectu furandi non committitur. Quare ſi quis, ſciente, & volente domino, rem alienam contrectaverit, furtum non committ-

(a) *l. Si quis* 52. §. 19. *ff. de Furt.*
(b) *l. Quam rem* 38. *ff. de Uſucapion.*
(c) *Gell. N. A. l. XI. c. ult.*
(d) *l. Eum, qui* 14. §. 13. *ff. de Furt.*
(e) *l. Non ſtatim pen.* §. 2. *ff. ad L. Fab. de plagiar.*

(1) Interdum & qui rem alienam non contrectavit, furti tenetur, veluti is, cujus ope, conſiliove furtum factum eſt. Ita qui panno rubro pecus fugavit, ut alius abigeret, furti reus eſt; & qui ferramenta ſciens commodavit ad effringendum oſtium, vel armarium, furti tenetur. *l. In furti* 50. §. 4. *l. Si pignore* 54. §. 4. *ff. de Furt.* Appoſite Cicero *de Nat. Deor. III. Inde illa actio: ope, conſilioque tuo furtum ajo factum eſſe.* Qui autem per laſciviam, ac ſine dolo malo pecus fugavit, actione in factum ob luſum pernicioſum, ex Labeonis ſententia tenebitur. *d. l. In furti in fin. ff. de Furt.* Ceterum qui conſilium dedit, tunc furti reus erit, ubi ſecuta contrectatio fuerit; alias neque verbo, neque ſcriptura furtum fieri, ait Ulpianus *l. Si quis* 52. §. 19. *ff. eod.*

mittet (*a*). Nec etiam furtum erit, ſi amotio facta fuerit non faciendi lucri gratia. Hinc qui meretricem alienam ancillam libidinis cauſa rapit, furti reus non eſt: nec enim factum quæritur, ſed cauſa faciendi, ait Ulpianus (*b*). Eodem ſane pacto, qui nocendi cauſa contrectat, lege Aquilia punitur; & qui contumeliæ cauſa rem alienam abſtulit, tenetur injuriarum: voluntas enim, & propoſitum delinquentis maleficia diſtinguit (*c*).

Non modo rei, ſed etiam uſus, poſſeſſioniſque fieri furtum poteſt (*d*). Itaque creditor, depoſitarius, commodatarius ſi pignore, re depoſita, aut commodata aliter utatur, quam cujus cauſa accepit, furtum uſus committit. Quamobrem ſi quis argentum utendum acceperit, quaſi amicos ad cœnam invitaturus, & id peregre exportarit; aut ſi quis equum geſtandi cauſa ſibi commodatum longius, vel in aciem duxerit, furti tenetur (*e*) (1). Poſſeſſionis porro furtum facit debitor, ubi pignus a creditore aufert (*f*) (2).

Fur-

[a] *l. Inter omnes* 46. §. 7. *ff. de Furt.*
[b] *l. Verum eſt* 39. *ff. eod.*
[c] *l. Qui injuriæ* 53. *pr. ff. eod.*
(d) §. 1. *h. t.*
(e) *l. Si pignore* 54. *pr.* & §. 1. *ff. de Furt.*
(f) *l. Itaque* 12. §. *ult. ff. eod.*

[1] Furti damnatum quemdam refert Val. Maximus, qui equum Ariciam tenus ſibi commodatum in ulteriorem ejus municipii clivum duxit *l.* 8. *c.* 2.

(2) Furtum autem jure naturali prohibitum dicitur, i. e. jure gentium, quo dominia diſtincta ſunt *l.* 5. *ff. de Juſt.* & *Jur. Cic. l.* 3. *Offic. c.* 5. *Illud natura non patitur, ut aliorum ſpoliis noſtras facultates, copias, opes augeamus.* Itaque furtum juri naturali hypothetico adverſatur, non abſoluto.

Furtum aliud eſt *manifeſtum*, aliud *non manifeſtum*. *Manifeſtus* fur eſt (ἐπ' αὐτοφώρῳ a Græcis dicitur (*a*)) & qui in ipſo furto, i. e. ipſo actu; & qui in ipſo loco, quo furtum fit deprehenditur. Ita furti manifeſti reus eſt, qui in domo furtum fecit, & nondum egreſſus januam, deprehenſus eſt. Quin & furti manifeſti eum quoque teneri, veteres dixerunt, qui ſive in publico, ſive in privato, vel a domino, vel ab alio viſus, aut deprehenſus fuerit, antequam eo perveniret, quo perferre, ac deponere rem deſtinaſſet. Fur autem non manifeſtus quis ſit, ex dictis facile colligitur (*b*) (2).

Fu-

(a) *Ariſtophan. in Pluto* v. 455.

[b] *Gell. N. A. XI.* 18.

(1) Præter furtum manifeſtum, & non manifeſtum memoratur etiam furtum *conceptum*, *oblatum*, *prohibitum*, *non exhibitum*. Sed hæc non ſunt genera, ſed ſpecies potius furti. *Conceptum* furtum dicitur, cum apud aliquem, adhibitis teſtibus, res furtiva quæſita, & inventa eſt: & is, quamvis furtum non fecerit, tenetur actione furti concepti. Concepti furti inquiſitio ſollemniter fiebat per *lancem*, & *licium*, de qua Gell. *l.* 11. *c.* 18. & Feſtus v. *Lance*, eamque ætate ſua obſoleviſſe, teſtis eſt Juſtinianus §. 3. *h. t.* Furtum *oblatum* vocatur, cum res furtiva ab aliquo tibi oblata, i. e. apud te depoſita eſt, eaque apud te concepta, utique ſi eo conſilio apud te depoſita eſt, ne apud eum, qui obtulit, inveniretur. In hac ſpecie adverſus eum, qui rem hujuſmodi depoſuit, habes actionem furti oblati *d.* §. 3. *h. t.* Actio autem furti *prohibiti* eſt adverſus eum, qui rem furtivam apud ſe, vocatis teſtibus, inquiri prohibuit: & actio *furti non exhibiti* adverſus eum datur, qui rem furtivam apud ſe quæſitam, & inventam non exhibet. Sed hæ actiones in deſuetudinem cum ipſa ſollemni inquiſitione abierunt; & hodie qui rem furtivam celat, tenetur pœnali actione furti *l. Eos*, *qui C. de Furt.*

Furem manifeſtum occidi permiſerunt X-Viri, ſi noctu is furtum feciſſet, aut ſe telo, cum prehenderetur, defendiſſet. Ex aliis autem manifeſtis furibus liberos verberari, addicique ei, cui furtum factum eſſet; ſervos verberibus cæſos e ſaxo præcipitari juſſerunt. Poſtea vero furti manifeſti pœna fuit *quadruplum*, non manifeſti *duplum*. In furti autem actione non, quod intereſt, quadruplabitur, vel duplabitur, ſed rei verum pretium (*a*). Ceterum Ulpiani tempore ob furum inopiam extra ordinem plerumque criminaliter agebatur (*b*), religioni judicis pœna remiſſa. Juſtinianus vero furti pœnam fecit arbitrariam multæ, vel exilii (*c*).

Porro actio furti datur non modo adverſus furem; ſed adverſus quemlibet detentorem rei furtivæ (*d*), modo is ſit doli capax. Hinc & impuberem doli capacem furti actione teneri, ait Ulpianus (*e*)(1). Ea autem actione pulſatus quilibet detentor, cogitur rem reſtituere, etiamſi ei pretium non fuerit a domino ſolutum (*f*).

Competit vero actio iſthæc ei, cujus intereſt, rem ſalvam eſſe, licet dominus non ſit; dummodo tamen ex honeſta cauſa interſit (*g*) Proinde non datur malæ fidei poſſeſſori, quamvis ejus interſit, rem non ſubripi: quippe cum res periculo ipſius ſit; nemo enim

(a) *l. In furti 50. pr. ff. de Furt*
(b) *l. ult. ff. eod.*
(c) *Nov. 134. c. 13.*
(d) *l. Si mancipium 23. C. de Rei vindicat.*
(e) *l. Impuberem 23. ff. de Furt.*
(f) *l. Incivilem 2. C. de Furt.*
(g) *l. Cujus 10. l. Tum is 11. ff. eod.*

(1) Legibus autem 12. tab. impuberes, qui furtum feciſſent, arbitratu Prætoris virgis cæſi, noxiam ſarcire jubebantur, Gell. *l. 11. c. ult.*

enim ex improbitate ſua actionem conſequi debet (*a*). Neque obſtat, quod furi, vel prædoni, qui rem commodavit, depoſuit, vel pignori dedit, competit actio commodati, depoſiti, vel pignoratitia. Non enim hiſce ſpeciebus fur, & prædo ex improbitate ſua adquirunt actionem, ſed ex contractu bona fide inito, licet ipſi malæ fidei ſint poſſeſſores (*b*). Contra vero fulloni, qui veſtimenta polienda conduxit, ſi in ſolidum ſolvendo ſit, datur actio furti: ejus enim intereſt, rem non ſubripi; quia domino tenetur actione locati. Itidem competit actio furti bonæ fidei poſſeſſori; ejus enim intereſt, rem ſubreptam non eſſe, ut fructus percipere poſſit, & rem ipſam uſucapere (*c*). At, re commodata ſubrepta, licet jure veteri commodatario, ſi ſolvendo eſſet, actio daretur (1); tamen voluit Juſtinianus, ut domini electio foret, utrum commodati adverſus commodatarium, an furti vellet agere adverſus furem: alterutra autem actione electa, non poſſe domi-

(a) *l. Itaque fullo* 12. §. 1. *ff. eod.*

(b) *l. Ita* 15. *ff. Commod. l. Bona fides* 31. §. 1. *ff. Depoſ. l. Si pignore* 22. §. 2. *ff. de. Pignorat. action.*

(c) *l. Itaque fullo* 12. *pr. ff. de Furt.*

[1] Dubitatum apud veteres fuit, utrum commodatario, an domino furti actionem ob rem commodatam ſubreptam dari oporteret. Hujuſce litis inter Sabinianos, & Proculianos agitatæ veſtigia collegit Merillius *cap.* 13. *expoſit.* 50. *deciſ. ad l. ult. C. de Furt.* Papinianus JCtorum facile princeps hac in re fluctuavit, & primum putavit, lucrum domino reſtitui a commodatario debere, in quam ſententiam auctores Baſilicorum iverunt *lib. LX. tit.* 6. deinde Sabini ſententiæ adſenſus, commodatario dedit lucrum actionis ea, fortaſſe de cauſa, quod medii temporis interuſurium ei abeſſet. *Vid. Merill. loc. cit.*

minum ex pœnitentia ad alteram venire juſſit: quod ſi dominus adverſus commodatarium actione commodati vellet experiri, commodatarium adverſum furem actionem habere edixit (*a*). Ex eodem principio fluit depoſitarium, re depoſita ſubrepta, furti actionem non habere: is enim non culpam, ſed tantum dolum præſtat (*b*).

Cum actione furti concurrit condictio furtiva, quæ ſoli domino datur, ejuſque heredibus, adverſus furem, & ipſius heredes, ut res furtiva reſtituatur cum omni cauſa (*c*). Ea odio furum inventa non pœnam legitimam petit, ut actio furti, ſed rem ipſam. Inde fit, ut altera per alteram non conſumatur (*d*). Ceterum in condictione ex cauſa furtiva heres in ſolidum tenetur: quod ſi pro parte ſit heres, pro rata convenitur, pro qua heres eſt (*e*). Quamvis enim iſthæc actio ex delicto ſit; tamen rei perſecutionem continet (*f*). Præter actiones hactenus memoratas datur etiam domino rei *vindicatio*, per quam rem furtivam repetit a quocunque poſſeſſore (*g*).

TITULUS II.

De Vi bonorum raptorum.

INter furtum, & rapinam illud intereſt, quod fur-

(a) *l. ult.* §. 1. *C. de Furt.*
(b) *l. Eum* 14. §. 2. *ff. eod.*
[c] *l.* 1. *l. Ex furtiva* 5. *ff. de Condict. furtiv.*
(d) *l. Si pro fure* 7. §. 1. *ff. eod.*
(e) *l. In condictione* 9. *ff. eod.*
[f] *d. l. Si pro fure* 7. §. 1. *ff. eod.*
(g) *L. Ancillæ* 12. *C. eod.*

furtum clam, rapina propalam, & vi aperta ſit. Proinde ait Ulpianus, ex quibus cauſis in re clam ſubrepta competit furti actio, ex iisdem in re vi rapta concedi actionem vi bonorum raptorum (*a*). Ceterum quemadmodum furtum in re mobili committitur; ita & rapina: res enim immobiles *invadi* dicuntur. Jure quidem 12. tab. nihil adverſus raptores conſtitutum: eorum tamen audaciam coërcuit Prætor, qui adverſus raptores pœnam quadrupli intra annum, poſt annum ſimpli edixit. Quadruplum autem in hac actione non totum pœna eſt, quemadmodum in actione furti; ſed in quadruplo eſt rei perſecutio; ut pœna tripli ſit. Cum vero raptor ſit *fur improbior*, ut ait Julianus (*b*), hinc merito etiam furti arceſſitur (*c*). Ea de cauſa adverſus raptorem utraque agi poteſt: & ſi prius furti actum ſit in duplum, datur actio vi bonorum raptorum, ut conſequatur actor, quod amplius eſt in ea; ut tamen non excedat quadruplum (*d*).

Jam vero rapina, non ſecus ac furtum, non committitur ſine dolo malo. Quapropter ſi quis rem alienam ſuam eſſe exiſtimans, per errorem rapuerit, non tenetur vi bonorum raptorum (*e*): nam deeſt animus lucrifaciendi, & res aliena. Verum cum magna injuriarum ſeges inde oriretur, Principum conſtitutionibus cautum, ut, qui rem ſuam ab alio poſſeſſam & litigioſam per vim auferret, eam ſtatim reſtitueret poſſeſſori, ejuſque dominio caderet: qui autem rem alienam raperet, rem ipſam reſtitue-

(a) *l. Prætor ait* 2. §. 22. *ff. h. t.*
(b) *d. l.* 2. §. 10. *eod.*
(c) *pr. h. t.*
(d) *Si quis* 88. *ff. de Furt.*
(e) *d. l.* 2. §. 18. *ff. h. t.*

tueret, reique inſuper præſtaret æſtimationem (*a*). Eamdem porro pœnam in invaſionibus ſervari placuit. Hinc ſi quis in finali quæſtione ante ſententiam fines alienæ poſſeſſionis intetverterit, in lite ſuperatus rem reſtituet, & tantumdem fundi præſtabit, quantum invaſerat (*b*). Sed ab hoc juris rigore paſſim hodie receditur fortaſſe ex æquitate juris Pontificii (*c*).

Actio porro vi bonorum raptorum datur iis omnibus, quorum intereſt, rapinam admiſſam non eſſe. Hinc commodatarius, conductor, creditor pignoratitius, fructuarius, b. f. poſſeſſor ea experiri poſſunt. In hac autem actione non utique ſpectamus, utrum res in bonis ſit actoris, nec ne: ſive enim in bonis, ſeu ex bonis, h. e., ex ſubſtantia ſit, hæc actio locum habebit (*d*) (1).

Nec tantum civili actione vi bonorum raptorum adverſus raptorem agere licet; ſed etiam criminali judicio ex lege Julia de vi publica, ſi cum armis, & de vi privata, ſi ſine annis rapina fuerit commiſſa (*e*). Raptor

[a] *l. Si quis 7. C. Unde vi.*
(b) *l. Si conſtiterit 4. C. Fin. regund.*
(c) *Cap. Redintegranda C. 3. Q. 1.*
(d) *l. Prætor ait 2. §. 22. ff. h. t.*
(e) *l. In eadem cauſa 3. §. 2. ff. ad L. Jul. de vi publ. l. Nec intereſt 3. §. 2. ff. ad L. Jul. de vi privat.*

(1) *In bonis* eſſe dicuntur non ſolum, quæ dominii noſtri ſunt; ſed & quæ bona fide a nobis poſſidentur, vel ſuperficiaria ſunt: itidem ea, quæ ſunt in actionibus, petitionibus, perſecutionibus *l. 49. ff. de V. S.* Hæc illis opponuntur, quæ *ex bonis* eſſe dicuntur, in quibus jus aliquod habemus, quorumque periculum, & cuſtodia ad nos pertinet; ut noſtra interſit, ea rapta non eſſe.

ptor enim lædit diſciplinam, & publicam ſecuritatem: ideoque ex eadem lege Julia aliquando deportatione, & publicatione bonorum; aliquando gladio punitur (*a*).

TITULUS III.

De Lege Aquilia.

INter privata delicta numeratur damnum injuria datum. *Damnum* autem eſt omnis patrimonii noſtri deminutio (*b*). *Injuria* vero licet generatim ſit, quod non jure fit; heic tamen deſignat culpam etiam leviſſimam (*c*).

Damnum porro injuria datum coërcetur lege Aquilia, quam plebiſcitum fuiſſe conſtat (*d*). De hujus legis ætate nil certi affirmari poteſt. Illam tamen antiquiſſimam fuiſſe vel inde liquet, quod illius meminit Cicero in Bruto (*e*), ejuſque interpretes fuerunt Brutus, & Q. Mucius Scævola (*f*) (1).

Tria

(a) *l. Capitalium* 28. §. 10. *ff. de Pœn.*
(b) *l. Damnum* 3. *ff. de Damn. infect.*
(c) *l. In lege* 44. *pr. ff. h. t.*
(d) *l.* 1. §. 1. *ff. eod.*
(e) *Cic. in Brut.* 34.
(f) *l. Si ſervus* 27. §. 22. *l. Quintus Mucius* 39. *pr. ff. eod.*

(1) Falſo ſibi perſuaſere nonnulli, Aquiliæ legis auctorem fuiſſe Aquilium Gallum, qui Aquilianam ſtipulationem, formulam doli mali, & exheredationis quaſi-poſthumorum invenit: is enim non ex plebeja, ſed ex equeſtri Aquiliorum familia oriundus tribunus plebis, non fuit. *Bertrand. de Vit. JCtor.* Fortaſſe hujus legis auctor fuit Publ. Aquilius Gallus, cujus meminit Val. Maximus *lib. VIII. c.* 1. *n.* 6. vel alius ille, quem Pighius in *Annal. ad an.* 572. refert.

Digitized by Google

Tria hujus legis capita agnoſcunt plerique Interpretes ; ſed intercedit Ger. Nood (*a*), qui plura capita legi adſcribit. Quidquid autem hujuſce controverſiæ ſit, nos primum, & tertium legis Aquiliæ caput cum Triboniano exponemus.

Primo itaque capite, Aquilio rogante, plebs Romana ſcivit, ut, *qui ſervum, ſervamve, alienum, alienamve, quadrupedem, vel pecudem injuria occiderit, quanti id in eo anno plurimi fuit, tantum æs domino dare damnas foret; utque adverſus inficiantem in duplum actio eſſet* (*b*). Non modo itaque quadrupedes, quæ collo, & dorſo domantur; ſed etiam, quæ pecudum numero ſunt, hac lege continentur. Proinde & bovis, muli, aſini; & ovis, capræ, ſuis (1) cædes hoc primo capite coërcetur. Canes vero, & feras beſtias lex Aquilia non reſpicit. Contra cameli, & elephanti, licet feræ ſint naturæ, ad primum Aquiliæ legis caput pertinent, quia jumentorum operam præſtant (*c*).

Lex autem Aquilia cædem vindicat, quæ injuria, h. e. nullo jure fit; ut & damnum culpa datum etiam ab eo, qui nocere noluit, hac lege contineatur (*d*). Quamobrem qui caſu ſervum occidit ſine dolo, Aquilia lege non tenetur (*e*). Item ſi quis in col-

(a) *Nood ad Leg. Aquil. cap.* 1.
(b) *l. Lege* 2. *pr.* & §. 1. *ff. h. t.*
(c) *d. l.* 2. §. 2. *eod.*
(d) *l. Sed & ſi* 5. §. 1. *ff. eod.*
(e) *l. Si ex plagis* 52. §. *ult. ff. eod.*

(1) Magna contentione diſputarunt veteres, utrum, ſues pecudum numero eſſent, necne: eæ enim & feram quodammodo naturam habere videntur, & collo, dorſoque non domantur. Sed Labeoni placuit, eos inter pecudes cenſeri *l.* 2. *ff. h. t.* quod Marcianus Homeri teſtimonio firmavit *l.* 65. §. 4. *ff. de Legat.* 3.

colluctatione, vel in pancratio, vel in pugilatu alium forte occiderit, ceſſat actio legis Aquiliæ, quia gloriæ & virtutis cauſa videtur damnum dediſſe (1) (*a*). Item ſi putator, ex arbore dejecto ramo, ſervum alienum tranſeuntem occiderit, ſi prope viam publicam, vel vicinalem id factum eſt, neque proclamatum, ut caſus evitari poſſet, ob culpam tenetur actione legis Aquiliæ (*b*). Et ſi medicus male ſervum ſecuerit, aut noxium medicamentum dederit, in legem Aquiliam incidit: imperitia enim culpæ adnumeratur in eo, qui præſtat artis peritiam (*c*).

Porro actio legis Aquiliæ non tantum datur, quanti hodie res eſt; ſed quanti plurimi fuit eo anno retrorſum computando a die cædis. Quare hæc actio in heredem non competit, cum ſit pœnalis; & in ea non ſolum peremti corporis fit æſtimatio, ſed etiam ejus, quod intereſt. Hinc, occiſo equo, qui qua-

(a) *l. Qua actione* 7. §. 4. *ff. h. t.*
(b) *l. Si putator* 31. *ff. eod.*
(c) *l. Imperitia* 132. *ff. de R. J.*

(1) Itidem ceſſat actio legis Aquiliæ, ubi damnum caſu, non culpa alterius contigerit. Caſus enim nec prævideri, nec præcaveri poteſt: niſi tamen culpa præceſſerit, & aliquis in re illicita, vel in re licita, ſed non ſuo loco, nec ſuo tempore fuerit verſatus *l. Item Mela* 11. *pr. ff. h. t.* Præterea nec homicidium neceſſarium venit in judicium legis Aquiliæ, ſi fuerit perpetratum cum moderatione inculpatæ tutelæ. Scil. ſi quis injuſtum aggreſſorem, ex quo imminebat corporis, vitæ, vel pudicitiæ periculum illico, & in continenti, ubi aliter periculum vitari non poterat, interfecerit, Aquilia non tenetur. Defenſor enim propriæ ſalutis in nullo peccare cenſetur, ait Gordianus *l. Si quis* 3. *C. ad L. Corn. de Sicar.*

quadrigam conſtituebat, non tantum occiſus equus æſtimabitur, ſed & id quoque in judicium veniet, quo reliqui depretiati ſunt (*a*); & occiſo ſervo, qui ab alio fuerat heres inſtitutus, hereditatis etiam ratio habebitur (*b*). Affectiones vero æſtimandas non eſſe putavit JCtus. Quare ſi ſervum tuum filium tibi naturalem quis occiderit, quem tu magno emtum velles, tanti ipſe æſtimabitur, quanti omnibus valeret (*c*).

Tertium caput legis Aquiliæ in hæc verba refertur ab Ulpiano (*d*): *Ceterarum rerum præter hominem, & pecudem occiſos, ſi quis alteri damnum faxit, quod uſſerit, fregerit, ruperit, quanti ea res erit in diebus triginta proximis, tantum æs domino dare damnas eſto*. In tertio itaque hoc capite agitur de pecude, & ſervo vulneratis; itidem de animalibus, quæ pecudum numero non ſunt, occiſis, aut vulneratis; ac poſtremo de rebus inanimis, uti ſupellectili, frumento, vino, libris, domo, fractis, combuſtis, ruptis. Proinde ſi facem ſervo objeceris, eumque aduſſeris; ſi eum loris, pugnis ita cecideris, ut corpus ipſi ſcideris, hac lege tenebeʼris. Itidem ſi in vinum meum aliquid immiſcueris, ex quo vinum fuerit corruptum, incides in legem Aquiliam (*e*).

Primum autem, & tertium legis Aquiliæ caput in eo conveniunt, quod in utroque dolus, & culpa etiam leviſſima præſtatur (*f*). In eo autem a primo

(a) *l. Ait lex* 21. *ff. h. t.*
(b) *l. Proinde* 22. *ff. eod.*
(c) *l. Si ſervum* 33. *ff. eod.*
(d) *l. Si ſervus* 27. §. 5. *ff. eod.*
(e) *l. Si ſervus* 27. §. 15. & 17. *ff. eod.*
(f) *l. Qui occidit* 30. §. 3. *ff. eod.*

mo tertium caput diſcrepat, quod æſtimatio damni in primo capite fit ex toto anno retrorſum computando; in tertio capite fit ex triginta diebus proximis (*a*). Ceterum illud adverti debet, quod licet vox *plurimi* non fuerit adjecta in tertio capite; tamen repetita intelligitur. Si ſecus ſtatuas, incerta eſt ex hoc capite damni æſtimatio (*b*).

Actio legis Aquiliæ triplex eſt, *directa* ſcil., *utilis*, & *in factum*. Directa ex ipſis verbis legis competit, quando corpore, & in corpus damnum datum eſt. Ita ſi servus alterius manu, ligno, vel lapide vulneratus, occiſus, vel in flumen dejectus, & ſuffocatus eſt, domino ex ipſa lege, i. e. ex verbis plebiſciti, actio competit (*c*).

Utilis Aquiliæ legis actio datur ex mente legis, & interpretatione Prudentum. Ea autem ob qualitatem actoris; ob qualitatem rei, in qua damnum datum; & ob modum damni dati competit. Ita fructuarius, uſuarius, & b. f. poſſeſſor, quamvis non ſint domini, ex lege Aquilia utili actione agunt (*d*). Et ſi liber homo ſit vulneratus, ei datur actio utilis legis Aquiliæ, qua impendia, & operarum ceſſantium æſtimationem recipit (*e*). Poſtremo ſi quis non corpore ſuo, ſed in corpus damnum dedit, etiam adverſus eum utilis actio competit. Id autem de eo dicitur, qui hominem, vel pecus incluſerit, ut fame necaretur, quive jumentum tam vehementer egerit, ut rumperetur, vel ita exagitaverit, ut præcipitaretur (*f*).

Actio

(a) *l. Quemadmodum* 29. §. *ult. ff. eod.*
(b) *l.* 29. §. *ult. eod.*
[c] *l. Qua actione* 7. §. 1. *ff. eod.*
(d) *l. Item Mela* 11. §. *ult. l. Sed. & ſi* 12. *ff. eod.*
[e] *l. Liber homo* 13. *pr. ff. eod.*
(f) *l. Boves* 53. *ff. eod.*

Actio autem in factum ex Prætoris edicto deſcendit ultra verba, & ſententiam legis. Ea porro competit, quando damnum quidem datum eſt, ſed nec corpore, neque in corpus. Ita ſi apes fumo necatæ, vel fugatæ (*a*); vel ſervus fugitivus compeditus intempeſtiva miſericordia ſolutus eſt, iſthæc actio datur (*b*).

Ceterum actio legis Aquiliæ concurrere poteſt cum aliis actionibus, & civilibus, uti commodati, locati; & criminalibus, veluti cum accuſatione ex lege Cornelia de ſicariis, modo ſervus dolo ſit occiſus (*c*).

TITULUS IV.

De Injuriis.

TRia priora delicta ad rem familiarem, Injuria ad meram vindictam, & exiſtimationem pertinet. Injuria ubi generatim accipitur, denotat quidquid non jure fit ſive a magiſtratu (1), ſive a privato,

---

(a) *l. Si quis* 49. *ff. eod.*
(b) §. *ult. h. t.*
(c) *l. Unde* 7. §. 1. *ff. Commod. l. In lege* 7. *ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.*
(1) Ita ſi magiſtratus quid per injuriam fecerit vel quaſi privatus, vel fiducia magiſtratus, injuriarum tenetur *l. Nec Magiſtratibus* 32. *ff. h. t.* Et ſi magiſtratus municipalis damnum injuria dederit, veluti ſi pecus pignori captum fame necaverit, Aquilia tenetur. Quod ſi vero aliquid violentius adverſus reſiſtentem egerit, ceſſat Aquilia: quia id jure ſuo fecit *l. Quemadmodum* 29. §. 7. *ff. ad l. Aquil.* Quæ enim jure poteſtatis a magiſtratu fiunt, ad injuriarum actionem non pertinent *l. Injuriarum* 13. §. 6. *ff. h. t.*

vato, ſive in rebus, ſive in exiſtimatione, ac dignitate. Ubi vero proprie ac ſpecialiter adhibetur, idem eſt, ac *contumelia*. Eſt autem contumelia, ubi pulſatione corpus, aut convicio aures, aut turpitudine vita cujuſque læditur dolo malo.

Itaque injuria triplici modo fieri poteſt, *Re*, *Verbis*, *Scriptura*. Re injuria fit ab eo, qui alium verberaverit, vel pulſaverit; quive matremf., vel prætextatum, prætextatamve *appellaverit*, vel *aſſectatus fuerit*, eive comitem abduxerit; alterius domum per vim introiverit (*a*) (1). Verbis injuria fit, cum alicui convicium infertur infamandi cauſa, in cœtu, vel extra cœtum, vociferatione aliis audientibus emiſſa (*b*). Scriptura denique injuria infertur, ubi quis libellum, aut carmen famoſum in alium ſcripſerit, compoſuerit, ediderit, dolove malo fecerit, quo quid eorum fieret (*c*).

Injuriarum porro tenentur ii tantum, qui dolo malo alterius corpus pulſatione, aut convicio aures, aut turpitudine vitam violarunt (*d*). Proinde infantes, furioſi, præceptores, parentes, propinqui, qui corrigendi animo aliquid fecerunt, hac actione fruſtra pulſantur (*e*).

In-

---

[a] *l.* 1. §. 1. *l. Item* 15. §. 11. *ff. h. t.*
(b) *d. l. Item* §. 11. *ff. eod.*
[c] *l. Lex Cornelia* 5. §. 9. *ff. eod.*
(d) *l. Illud relatum* 3. §. 1. *ff. eod.*
(e) *l. Item* 15. §. 13. *ff. eod.*

(1) Re quoque injuria committitur, ſi cujus bona quaſi debitoris poſſeſſa ſint ab eo, qui ſciebat, nil ſibi deberi §. 1. *h. t.* Itidem injuria infertur ab eo, qui non debitorem quaſi debitorem compellavit apud judicem *l. Item apud Labeonem* 15. §. *Si quis* 33. *ff. h. t.* Idem de eo dicendum, qui domum abſentis debitoris ſine judicis auctoritate ſignaverit, injuriarum cauſa *l. Si injuriæ* 20. *ff. eod.*

Injuriam autem pati poſſumus vel per noſmetipſos, vel per eos, quos affectu, vel poteſtate conjunctos habemus (*a*). Hinc maritus ob arctiſſimum ſocietatis vinculum, & ſponſus recte injuriarum agit, quas uxori quis, aut ſponſæ intulerit (*b*): uxores enim a viris defendi, æquum eſt (*c*) (1). Itidem patri datur actio injuriarum propter injurias illatas liberis, quos habet in poteſtate (*d*); licet injuriæ liberis volentibus factæ ſint, aut liberi pacti fuerint, ne injuriarum agerent (*e*).

Lege 12. tab. pœna injuriarum ob membrum ruptum talio erat: propter os fractum pœna nummaria 300. vel 150. æris inflicta, prout vel libero homini, vel ſervo injuria fuit irrogata: leviores vero injuriæ 25. aſſium pœna multabantur (*f*) (2). Sed creſcente auri, & argenti copia, cum modici æris pœna non ſufficeret ad coërcendos homines ab injuriis inferendis, jure Prætorio poena injuriarum conſtituta eſt arbitrio Prætoris; ut tamen actor injuriam æſtimaret, vel quanti injuriam paſſus æſti-

(a) *l.* 1. §. 3. *ff. eod.*
(b) *l. Eum, qui* 18. §. 2. *l. Item* §. 24. *ff. eod.*
(c) *l. Quod ſi* 2. *ff. eod.*
(d) *l.* 1. §. 5. *ff. eod.*
(e) *l. Si quis ſervum* 26. *ff. eod.*
(f) *Gell. XX.* 1.

(1) Uxoribus ob injurias maritis illatas non datur actio injuriarum, tum quia uxores a viris, non viros ab uxoribus defendi æquum eſt *l. Quod ſi* 2. *ff. h. t.* tum quia turpe eſt, mulierem in foro verſari litis cauſa *l. Maritus C. de Procurat. l. Optimam C. de Contrah. & committ. ſtipulat.*

(2) *Si membrum rupſit, ni cum eo pacit, talio eſto. Qui os ex genitali fudit, libero CCC. ſervo CL. æris pœnæ ſunto.* Ita legem exhibet Gothofredus tab. 7.

æſtimaſſet, vel minoris, prout ei videretur (a). Quod vero ad convicia atrociora, & famoſa carmina, eorum auctores fuſtigatione coërceri voluere X-Viri (1). Sed hodie damnatus ob carmen famoſum, præterquam quod famoſus eſt, & inteſtabilis (b), conſtitutione Valentiniani capitali ſententia damnatur, ſi crimen capitale in libello fuerit deſcriptum (c).

In actione injuriarum condemnatio fit pro atrocitate, & modo injuriæ, Atrox injuria æſtimatur ex re, perſona, loco tempore. Ita atrox cenſetur injuria, ſi os fractum, ſi vulnus inflictum; ſi pater, magiſtratus, patronus, vel ſacerdos in ſacris occupatus, re, vel verbis contemtus (d); ſi cui in theatro, in foro, in aula Principis, in conſpectu Prætoris injuria facta ſit (e),

De injuriis autem vel civiliter, vel criminaliter agi poteſt. Si civiliter agatur, reus, æſtimatione facta, arbitrio judicis multabitur (f). Si autem criminali judicio ex lege Cornelia agatur, officio judicis extraordinaria poena reo irrogabitur (g)

(1). Ci-

(a) §. 3. *h. t,*
(b) *l. Ob carmen ff. de Teſtib,*
(c) *l. Un. C. de Famoſ. libell,*
(d) *l. Atrocem* 4. *C. h. t.*
(e) *l. Prætor edixit* 7. §. 8. *l. Vulneris* 8. *ff. eod,*
(f) §. *pen. h. t,*
(g) *l. ult. ff. eod.*

(1) Ita X-Viri: *Si qui pipulo* (i. e. convicio cum vociferatione *l.* 15. §. 2. & 11. *ff. h. t.*) *occentaſſit, carmenve condiſſit, quod infamiam faxit, flagitiumve alteri, fuſte ferito,* Huc alludit Horatius *Epiſt.* 2. 1.

. . . . Quin etiam lex,
Pœnaque lata malo, quæ nollet carmine quemquam
Deſcribi; vertere modum formidine fuſtis,
Ad bene dicendum, delectandumque redacti.

(1). Civilis injuriarum actio per procuratorem intendi poteſt (*a*). Criminale judicium actor ipſe ſuſcipere debet. Vix viris illuſtribus, eorumque uxoribus, ac liberis datur, actionem injuriarum per procuratorem criminaliter perſequi, vel ſuſcipere (*b*): in hujuſmodi enim perſonis famæ damna ſunt graviora (*c*).

Actio injuriarum aboletur diſſimulatione injuriæ, ubi ſcil. injuriam paſſus eam ad animum non revocavit (*d*). Quin & tollitur ſilentio annali (2) (*e*): expedit enim reip., ut brevis ſit inju-

ria-

(a) *l. Non ſolum* 11. §. 2. *ff. h. t.*
(b) *l. Si quando* 11. *C. eod.*
(c) *Nov.* 71. *c.* 1.
(d) *d. l. Non ſolum* 11. §. 1. *ff. h. t.*
(e) *l. Si non convicii* 5. *C. eod.*

(1) Ex lege Cornelia criminale injuriarum ſed privatum judicium conſtitutum eſt adverſus eos, qui pulſaſſent, verberaſſent, alienamve domum vi introiviſſent §. 8. *h. t.* Legem hanc tuliſſe dicitur L. Corn. Sylla, quo tempore remp. conſtituebat bello civili, & cædium impunitate jactatam. *Domus* autem nomine in lege Cornelia intelligitur etiam conducta, & precaria, & hoſpitalis. *l.* 5. §. 2. *eod.*

(2) Quod autem dictum eſt, actionem injuriarum anno finiri, id quidem pertinet ad actionem prætoriam. Ea enim, quæ ex lege Cornelia comperit, perpetua eſt, quemadmodum & ceteræ actiones, quæ ex legibus, & jure civili deſcendunt. Nec aliud ſuadere videtur lex *Si non convicii* 5. *C. h. t.* in ea enim de verbali tantum injuria ſermo eſt, quo nomine non agitur ex lege Cornelia. Ceterum annus, quo actio injuriarum præſcribitur, *utilis* ex jure Romano intelligitur *l. Item ſi* 14. *ff.* 2. §. *Quod met. cauſ.* quidquid contra moliti ſint Pragmatici.

riarum memoria (*a*). Præterea ceſſat injuriarum actio remiſſione expreſſa, ſeu tacita: et, injuria ſemel remiſſa, non poteſt injuriarum actio poenitentia revocari (*b*). Hinc ſi de injuria tranſactum ſit, actio injuriarum locum non habebit. Et ſi minor actionem injuriarum remiſerit, non reſtituitur: beneficium enim reſtitutionis in integrum in actionibus poenalibus ceſſat (*c*). Poſtremo tollitur injuriarum actio morte ſeu ejus, qui injuriam intulit, ſeu ejus, cui illata eſt: heredi enim, & in heredem non datur, niſi lis fuerit a defuncto, vel in defunctum conteſtata (*d*). Actio enim injuriarum eſt poenalis, & vindictam doloris potius, quam pecuniam perſequitur. Appoſite Cicero: *Actio injuriarum non jus poſſeſſionis aſſequitur, ſed dolorem imminutæ libertatis judicio, pœnaque mitigat* (*e*).

TITULUS V.

De Obligationibus, quæ quaſi ex delicto naſcuntur.

Quemadmodum verum delictum dolo malo; ita quaſi delictum ſine dolo,& ex culpa tantum committitur. Quatuor quaſi delicti ſpecies in hoc titulo exponit Tribonianus, quas pro inſtituti ratione paucis perſequemur.

Primum quaſi-delictum committit judex, qui male

(a) *l. Item* 14. §. 2. *ff. Quod met. cauſ.*
(b) *l. Non ſolum* 11. *ff. h. t.*
(c) *l. Auxilium* 37. *pr. ff. de Minor.*
(d) *l. Injuriarum* 13. *pr. ff. h. t.*
(e) *Orat. pro Cæcin.* 12.

male judicando per imprudentiam litem ſuam facit. *Litem ſuam facere* judex dicitur, ubi cogitur cauſam alterius uti propriam defendere, & quantum æquum Prætori videbitur, ei, qui ſuccubuit, præſtare. Ita quidem ſe res habet, ſi judex per imprudentiam male judicavit: at ſi dolo malo, i. e. per gratiam, inimicitias, vel ſordes judicaverit, tenetur in integram litis æſtimationem; & infamia eum ſequetur (*b*) (1).

Alterum quaſi-delictum committit is, cujus ex cœnaculo aliquid dejectum, effuſumque eſt, quo alicui nocitum fuit. Id propter viarum publicarum ſecuritatem fuit conſtitutum: publice enim intereſt, ſine metu & periculo per itinera commeari (*c*). Si cui igitur ob dejecta, vel effuſa nocitum fuerit, is quidem ab habitatore ædium duplum damni dati conſequetur (2). Quod ſi liber homo occiſus ſit, cujus e cœnaculo dejectum, vel effuſum, is 50. aureis multabitur actori applicandis, ſi intra annum egerit (*d*). At ſi vero ſine periculo vitæ fuerit quis vulneratus, ædium habitator arbitrio judicis

(a) *l. Si quis* 5. §. 4. *ff. de O. & A.*
(b) *l. ult. C. de Pœn. jud. qui mal. judic.*
(c) *l.* 1. §. 1. *ff. de His, qui effud. vel dejec.*
(d) *l. Si vero* 5. §. 5. *ff. eod.*

(1) Ex lege 12. tab. judex pedaneus, qui ob ſordes male judicaſſet, capite plectebatur. *Gell. lib. XX. c.* 1. Poſtea ex lege Julia repetundarum pœna conſtituta fuit exilium in cauſa criminali, triplum in cauſa civili. *l. Lege Julia* 3. *l. Ex Julia ff. ad l. Jul. repetund.*

(2) Si plures in eodem cœnaculo habitant, quiſque in ſolidum tenetur *l.* 1. §. *ult. ff. de His, qui effud. vel dejec.* Qui autem ſolvit, repetit a reliquis *l. Perceptione* 4. *ff. eod.* & omnes in eum, qui dejecit, habent actionem locati, vel in factum *l. Si vero* 3. §. 4. *ff. eod.*

dicis damnabitur. In hac porro æſtimatione judex computare debet mercedes medicis præſtitas, ceteroſque ſumtus in curatione factos, & operas, quibus caruit, cariturusque eſt, qui vulnus accepit. Cicatrices vero, & deformitas, ſi qua accidit, non æſtimantur: liberum enim corpus æſtimationem non recipit (*a*).

Tertium quaſi-delictum eſt, quando quid poſitum, vel ſuſpenſum eſt ea parte, qua vulgo iter fit, quod ſi caderet, nocere poſſet (*b*). Actio de eo, quod poſitum, aut ſuſpenſum eſt, competit cuivis e populo (*c*). Pœna porro adverſus eum, qui aliquid poſuit, vel ſuſpendit, conſtituta eſt aureorum decem (*d*). Ceterum apud nos ſeveriori pœna hoc quaſi-delictum coërcetur (*e*). Sed legem vicere mores.

Jam vero ſi filiusf. ſeorſim a patre habitaverit, & quid ex ejus cœnaculo dejectum, vel effuſum, ſive quid in eo poſitum, ſuſpenſumve fuerit, cujus caſus periculoſus ſit, in patrem non datur actio de peculio, quippe quæ non ex contractu oritur, ſed ex quaſi delicto (*f*). Filius enim ex omnibus cauſis obligatur tamquam paterf., excepta cauſa mutui (*g*). Proinde ſi filiusf. perperam judicando litem ſuam fecerit, pater non poteſt conveniri de peculio (*h*). Ceterum filiof. condemnato, in actione judicati,

(a) *l. ult. ff. eod.*
(b) *l. Si vero §. 6. ff. eod.*
(c) *d. l. Si vero §. ult. eod.*
(d) *§. 1. h. t.*
(e) *Pragm. 1. de His qui effud. vel dejec.*
(f) *l. 1. §. 7. ff. eod.*
(g) *l. Filiusf. 39. ff. de O. & A. l. 1. ff. ad SC. Macedon.*
(h) *§. 2. h. t.*

dicati pater tenetur, quatenus eſt in peculio. Per litis enim conteſtationem quaſi-contractus initur inter actorem, & reum.

Ultimum quaſi-delictum committunt nautæ, caupones, ſtabularii, ubi in navi, caupona, vel ſtabulo furtum factum, vel damnum datum ab iis, quorum opera ipſi utuntur (a). Hac actione nautæ, caupones, ſtabularii duplum præſtant: ſibi enim imputare debent, quod opera malorum hominum utatur (b). At ſi furtum non a famulis, ſed a viatoribus factum ſit, datur adverſus nautas caupones, ſtabularios actio *de receptis* in ſimplum: nautæ enim, & caupones illata in navim, vel cauponam ex tacita conventione ſalva fore recipiunt (c). Ceterum quæ actiones ex quaſi delicto deſcendunt, adverſus heredem non dantur: pœnæ ſiquidem ſuos tenent auctores. Proinde a veteribus JCtis notata fuit Juliani ſententia, qui cenſebat, in heredem judicis, qui litem ſuam fecit, actionem competere, uti refert Ulpianus (d).

TITULUS VI.

De Actionibus.

OBbligationum tractatione abſoluta, Juſtinianus actiones exponit, quæ ex ipſis obligationibus deſcendunt. Actionem definivit poſt Celſum Tribonianus: *jus perſequendi in judicio, quod ſibi debetur*

(a) §. 3. *h. t.*
(b) *l. Si quis* 5. §. 6. *ff. de O. & A.*
(c) *l.* 1. §. *ult. ff. Naut. caup. ſtabular.*
(d) *l. Julianus* 16. *ff. de Judic.*

betur (a). Cum vero iſthæc definitio actionem deſignet, prout jus continet nobis in civitate competens, quo nomine in claſſem rerum conjici debet, rectius fortaſſe actionem definiemus, *modum, ſeu viam conſequendi in judicio, quod nobis debetur.*

Prima Actionum Diviſio.

Actionum ſumma diviſio eſt, ut aliæ in rem ſint; aliæ in perſonam. Actio in perſonam naſcitur ex contractu, vel maleficio; eaque intendit actor, adverſarium, ſibi dare, vel facere oportere. Iſthæc actio *condictio dicitur* (1) (*b*). Actio in rem eſt, qua actor rem ab alio poſſeſſam ſuam eſſe intendit. Ipſa concipitur in rem ipſam, & convenit rem, non perſonam. Ea dicitur *vindicatio* (*c*) (2). Actiones ſeu reales, ſeu perſonales vel ex jure

(a) *l. Nihil aliud* 51. *ff. de A. & O. pr. h. t.*
(b) §. 1. *h. t.*
(c) *l. Actionum ff. de O. & A.*

(1) *Condicere* apud veteres eſt *denunciare*. *Condictio*, ait Feſtus *l.* 3. *eſt in diem certum ejus rei, quæ agitur, denunciatio*. Quare *condictum* diem X-Viri appellarunt judicii cauſa conſtitutum. *Condictiones* itaque inde fuerunt nuncupatæ, quod olim, qui in perſonam agerent, adverſario denunciare ſolerent, ut certa die judicio adeſſet.

(2) Vindicatio ex 12. tab fiebat conſertis manibus in re præſenti apud Prætorem. Sed poſtquam Prætorem piguit, in agrum deſcendere vindiciarum cauſa, moribus receptum, ut, gleba fundi propoſita in jure apud Prætorem, ſollemnia vindicationis in ea exercerentur, tamquam in toto fundo *Gell. l.* 20. *c.* 9. Hujus actionis ſollemnitates ab uſu receſſerunt, ubi formulæ actionum a Conſtantino ſublatæ ſunt *l.* 1. & 2. C. *de Formul. ſublat.* Formula vindicationis ex parte actoris: *ajo, fundum*

jure civili deſcendunt, vel ex jure Prætorio. Illæ *civiles*; hæ *Prætoriæ* appellantur. Actiones civiles perſonales nobis adverſus perſonas competunt ex jure civili. Eæ vel ex contractu, vel ex delicto promanant. Hujuſmodi eſt actio emti & venditi, actio ob damnum ex lege Aquilia. Civilis vero realis actio eſt, quæ ex jure civili deſcendit, & ex jure in rem ipſam competit; cujuſmodi eſt rei vindicatio.

Actio porro in rem ex præſenti poſſeſſione eſt; & non datur, niſi adverſus poſſeſſorem, eumque, qui dolo deſiit poſſidere: dolus enim pro poſſeſſione habetur (*a*). Illud autem exploratum eſt, in actione in rem actoris eſſe probare, ſe dominum; &, actore non probante, reum, i. e. poſſeſſorem abſolvi; quamquam is juſtam poſſidendi cauſam nullam habeat (*b*). Ceterum in judicio vindicationis tria requiruntur, 1. ut Actor ſit dominus, & dominium ſuum probet ex titulo habili non ſuo tantum, ſed & auctoris ſui (*c*): nemo enim plus juris in alium transferre potuit, quam ipſe habet. Requiritur 2. ex parte ejus, qui convenitur, ut poſſideat (*d*); nam poſſeſſio parit in rem actionem (*e*). Nihil autem intereſt, utrum ſuo nomine poſſideat, an alieno ſit in poſſeſſione; utrum poſſideat, an dolo poſſidere deſierit; utrum poſſideat, an tamquam

---

Sabinum meum eſſe; a parte vero rei conventi: *imo meum eſſe*. Reo enim non contra vindicante, Prætor formula, *quando neque ais*, *neque negas &c.* rem præſenti, & vindicanti addicebat.

(a) *l. Qui dolo* 131. *ff. de R. I.*
(b) *l. ult. C. de R. V.*
(c) *l. ult. C. de R. V.*
(d) *l. Qui petitorio* 36. *ff. eod.*
(e) *l. Un. C. de Alienat. judic.*

quam poſſeſſor liti ſe obtulerit (*a*). Requiritur 3. ex parte rei petitæ, ut illa ſit corporalis: de incorporalibus enim propriæ ſunt, & legitimæ actiones proditæ, quibus liberum exercitium ſervitutis, vel libertatis vindicatur.

Actio in rem civilis non modo de rebus corporalibus datur; ſed etiam de incorporalibus, ſcilicet de ſervitutibus tam realibus, quam perſonalibus. Et ſane quæ de incorporalibus rebus competit actio vel *confeſſoria* eſt, vel *negatoria*. *Confeſſoria* actio dicitur, qua quis aſſerit, ſibi, vel prædio ſuo ſervitutem competere in re aliena contra dominum prædii ſervientis, vel quemvis in uſu ſervitutis ipſum impedientem, ut ab impedimento in poſterum deſiſtat (*b*), præſtetque, quod actoris intereſt, ſe turbatum non eſſe (*c*), & caveat, ſervitutem a ſe in poſterum turbatum non iri (*d*): id enim judicis officio continetur (*e*). Hujus actionis formula hæc eſt: *Ajo mihi jus eſſe eundi, agendi*, vel., *aquam ducendi per fundum tuum* (*f*).

Negatoria vero actio eſt, qua dominus ſervitutem ſe debere negat adverſus eos, qui ſervitutem ſibi deberi contendunt, ut res libera declaretur, & præſtetur id, quod ejus intereſt, ſe turbatum non eſſe (*g*), utque reus caveat, ſe in poſterum non turbaturum actorem (*h*). In actione confeſſoria actor probat, ſibi, vel fundo ſuo deberi ſervitutem:

(a) *l. Is, qui* 25. *ff. de R. V.*
(b) *l. Si quis* 10. §. 1. *ff. Si ſervit. vindic.*
(c) *l. Harum* 7. *ff. eod.*
(d) *l. Egi* 12. *ff. eod.*
(e) *l. Loci* 4. §. 2. *ff. eod.*
(f) *l. Si eo loco* 9. *ff. eod.*
(g) *l. Loci* 4. §. 2. *ff. eod.*
(h) *l. Harum* 7. *ff. eod.*

rem : in negatoria vero reus id probat ; tum quia actoris negantis nulla eſt probatio ; tum quia is pro ſe fortiorem habet præſumtionem libertatis prædii , quæ dominio cohæret . Formula autem negatoriæ actionis ita concipiebatur : *Ajo , tibi jus non eſſe utendi , fruendi* (*a*) . Iſthæc negatoria actio in rebus corporalibus locum habere non poteſt : in his enim agit , qui non poſſidet : qui vero poſſidet , non vindicat , ſed ad interdictum venire debet , & fruſtra petit , ſibi reſtitui , quod jam habet (1) . In actione ſiquidem in rem actori incumbit onus probandi , rem ſuam eſſe ; & , actore non probante , reus , ſeu poſſeſſor abſolvitur ; etiamſi nullam poſſidendi cauſam habeat (*b*) . In pari enim cauſa poſſeſſor potior haberi debet (*c*) . Utraque actio tam confeſſoria , quam negatoria vel *directa* eſt , vel *utilis* . Directa datur ſoli domino fundi (*d*); utilis datur illis , qui ſimile jus habent, qualis eſt creditor pignoratitius , ſuperficiarius, uſusfructuarius, emphyteuta (*e*) .

Prætoriæ vero reales actiones ſunt Publiciana , Reſciſſoria , Pauliana , Serviana , & quaſi-Serviana . Actio Publiciana a Publicio Prætore inventa competit ei , qui rem bona fide , & juſto titulo poſſeſſam

---

(a) *l. Si quando* 17. *pr. ff. eod.*
(b) *l. ult. C. de R. V.*
(c) *l. In pari* 128. *ff. de R. I.*
(d) *l. De ſervitutibus* §. 1. *ff. Si ſerv. vindic.*
(e) *l. Ei* 16. *ff. de Servitut.*

(1) Atque in negatoria actione *unus ille caſus* habetur , in quo is , qui poſſidet , actoris partes obtinet , nim. ſi poſſeſſor fundi in exercitio libertatis impediatur *l. Loci* 4. §. *ult. l. Et ſi* 6. §. 1. *Si ſerv. vind.* Atque ita controverſum Triboniani locum in §. 2. *h. t.* explicat Theophilus , Cujacius , aliique .

ſam ante impletum uſucapionis tempus amiſit, adverſus injuſtum ejus rei poſſeſſorem, ut rem reſtituat (*a*). Iſthæc actio eo colore datur, quaſi rem uſuceperit, qui revera non uſucepit. Prætor autem in actione Publiciana b. f. poſſeſſorem dominum fingit, quaſi re uſucapta: atque ita emollit duritiem juris civilis *utili*, vel *fictitia* actione (*b*). Illud vero certum eſt, actionem Publicianam contra juſtum poſſeſſorem, & contra dominum non dari (*c*). Dominus enim firmius jus habet, quam b. f. poſſeſſor. Proinde in formula Prætor addebat: *ſi ea res poſſeſſoris non ſit* (*d*).

Actio reſciſſoria datur ei, qui, cum juſta ex cauſa abeſſet, rem per uſucapionem amiſit; vel etiam ei, cujus res ab abſente uſucapta eſt, adverſus illum, qui uſucepit, ut, reſciſſa uſucapione, rem reſtituat (*e*). *Juſta cauſa abeſſe* dicitur, qui abeſt reip. cauſa; veluti legatus, miles (*f*). Mercator contra, qui ſui lucri cauſa abeſt, juſta cauſa non dicitur abeſſe (*g*). In hac autem actione Prætor ex æquitate fingit, reum non uſucepiſſe; nemo enim ex laudabili alterius abſentia compendium facere debet (*h*). Ceterum actio reſciſſoria contra jus civile a Prætore datur intra annum a die reditus, & poſtliminii, & anno finitur (*i*). Ea aliis quoque caſibus, qui ab Ulpiano exhibentur, locum habet (*k*). Actio

(a) *l.* 1. *ff. de Public. in rem act.*
(b) *Ulp. Fragm. XXVIII.* 12.
(c) *l. Paulus* 16. *ff de Public. in rem act.*
(d) *l. ult. ff. eod.*
(e) §. 5. *h. t.*
(f) *l. Milites* 7. *l. Legatis* 8. *ff. Ex quib. cauſ. major.*
(g) *l. Reipublicæ* 36. *ff. eod.*
(h) *l. Abſentia* 140. *ff. de R. I.*
(i) *l. In honorariis ff. de O. & A.*
(k) *l. Sed & ſi* 26. §. *ult. ff. Ex quib. cauſ. major.*

Actio Pauliana datur creditoribus adverſus quoſcumque poſſeſſores rerum in fraudem creditorum, alienatarum, ut in eodem ſtatu reſtituantur cum omni cauſa (*a*). Actio iſta a Paulo Prætore procuſa vel realis eſt, vel perſonalis. Realis datur, ubi quid in fraudem alienatum, poſtquam creditores in poſſeſſionem miſſi ſunt (*b*). Perſonalis vero competit, ubi alienatio facta ſit, creditoribus nondum in poſſeſſionem miſſis (*c*). Ita ſi debitor, antequam bona ejus poſſeſſa, in fraudis conſcium aliquid tranſtulit; vel bonis jam poſſeſſis obligationes in fraudem creditorum pacto, vel acceptilatione remiſit, Paulianæ actioni locus erit (*d*). In perſonali Pauliana actione opus eſt, ut debitor animum fraudandi habuerit; ut revera creditores fraudati ſint; ut poſſeſſor etiam fraudis conſcius fuerit (*e*): contra ignorantem enim non datur, niſi ex cauſa lucrativa (*f*).

Poſtremo inter Prætorias in rem actiones refertur Serviana, & quaſi-Serviana. Serviana a Servio Prætore ſic dicta datur domino fundi ruſtici ad perſe-

---

(a) *l. 1. pr. l. Ait Prætor 10. §. 19. ff. Quæ in fraud. creditor.*

(b) §. *6. h. t.*

(c) *l. Omnes 17. §. 1. ff. Quæ in fraud. creditor.*

(d) *l. 1. §. 2. d. l. 10. §. 14. ff. eod.*

(e) *l. Quod autem 6. §. 8. l. Ait Prætor 10. §. 1. ff. eod.*

(f) *d. l. 6. §. 11. ff. eod.*

(1) Quo ſane tempore Pauliana actio prodierit, non adhuc liquet. Ciceronis quidem ævo ea non fuerat prodita, ſed agebatur de dolo malo: *Cæcilius avunculus tuus a P. Vario cum magna pecunia fraudaretur, agere cœpit cum ejus fratre Caninio Satyro de iis rebus, quas eum dolo malo mancipio accepiſſe de Vario diceret. Ad Attic. I. ep. 1.*

ſequendos fructus fundi, qui tacito pignore tenentur, ceteraſque res expreſſo pignore ei obligatas pro mercedis ſecuritate (*a*) (1). De hiſce rebus coloni pignori obligatis præter actionem Servianam, competit etiam interdictum Salvianum (*b*). Illud autem inter Servianam actionem, & interdictum Salvianum intereſt, quod Serviana actio datur etiam contra tertium poſſeſſorem rerum coloni pignori obligatarum; Salvianum vero interdictum datur tantum contra fundi conductorem (*c*).

Actio autem quaſi-Serviana, quæ & *utilis Serviana* (*d*), & plerumque *hypothecaria* appellatur (*e*), ad exemplum Servianæ introducta eſt a JCtis, qui eam ad omne pignus extenderunt, ſive id tacitum a lege, ſive facto hominum expreſſe foret conſtitutum (*f*). Pignus autem, quod ad hypothecariam actionem, nihil ab hypotheca differt: utraque enim vox promiſcue accipitur pro re pignori obligata. Atque hoc eſt quod ait JCtus (*g*) pignus ab hypotheca non differre, niſi nudo nominis ſono, ſc. quod ad hypothecariæ actionis formulam, cujus eadem eſt

(a) §. 7. *h. t.*
(b) *l.* 1. *ff. de Salvian. interdict.*
(c) *l.* 1. C. *de Precar.*
(d) *d. l.* 1. *C. eod.*
(e) §. *Item Serviana* 7. *h. t.*
(f) *d.* §. 7. *h. t.*
(g) *l. Res hypothecæ* 5. §. 1. *ff. de Pignor. & hypothec.*

(1) *Invecta illata* in prædia urbana tacite pignori ſunt locatori, etiamſi nihil nominatim convenerit: at *inducta*, & *illata* in prædia ruſtica non ſunt pignori locatori, niſi ex pacto expreſſo: ſatis enim cautum videtur domino fundi ruſtici ex eo, quod fructus, qui ibi naſcuntur, tacite intelliguntur pignori eſſe *l. Eo jure* 4. *l. In prædiis* 7. *ff. In quib. caus. pign. vel hypoth.*

eſt in utroque vis, & poteſtas. Ceterum pignus inter, & hypothecam illud diſcrimen intercedit, quod pignus contrahitur re, & traditione; hypotheca nuda conventione (*a*); pignus in re mobili (*b*), hypotheca in rebus ſoli conſtituitur; pignoris poſſeſſio creditori datur, rei vero obligatæ poſſeſſio apud debitorem manet (*c*): hypothecarius creditor intra certum tempus experiri cogitur, quo elapſo hypotheca decidit; at creditori pignoratitio nulla præſcriptio nocet (1).

Præter actiones in rem Prætorias, quas enarravimus, etiam actiones in perſonam propoſuit edicto Prætor. Earum aliæ ſunt rei perſecutoriæ, aliæ pœnales. Rei perſecutorias Prætorias actiones tres exhibet Tribonianus, actionem nim. *conſtitutæ pecuniæ*, actionem *de peculio*, & actionem *ex jurejurando*. Actio conſtitutæ pecuniæ naſcitur ex pacto de ſolvenda certo die pecunia a ſe, vel ab alio debita. *Conſtituere* enim heic nihil aliud eſt, quam nudo pacto ſine ſtipulatione creditori promittere, ſe certa die ſoluturum, quod jam a ſe, vel ab alio debetur (*d*). Inde liquet, conſtitutum ſine cauſa, i. e. niſi debitum præcedat, non valere (*e*). Con-

(a) *l. Contrahitur* 4. *ff. eod.*
(b) *l. Plebs eſt* 238. *ff. de V. S.*
(c) *l. Si rem* 9. §. 2. *ff. de Pignorat. act.*
(d) *l. Eum* 5. §. 2. *ff. de Pec. conſtit.*
(e) *l. Quod ſi* 3. §. 1. *ff. eod.*

(1) Tertius hypothecæ poſſeſſor titulum habens præſcribit hypothecam adverſus creditorem præſentem decennio, adverſus abſentem vicennio *l.* 2. *C. ſi advers. creditor præſcr.* titulo deſtitutus præſcribit triginta annis *l. Cum noviſſimi* 7. *C. de Præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.* Debitor vero, ejuſque heres præſcribunt annis quadraginta *l.* 1. §. 1. *C. de Annal. præſcript.*

Conſtitutum autem obligationem non novat, ſed ei accedit (*a*). Proinde conſtitutæ pecuniæ reus comparatur fidejuſſori; ut propterea beneficium diviſionis ex epiſtola D. Hadriani fidejuſſoribus datum locum habeat in reis conſtitutæ pecuniæ (*b*). In hoc autem a fidejuſſore differt conſtitutæ pecuniæ reus, quod ille per ſtipulationem alienæ obligationi accedit (*c*); hic nudo pacto conſtituit. Cum vero apud nos nudo pacto fidejuberi ſoleat, conſtitutum a fidejuſſione vix quidquam differt (1) (*d*).

Quod ad actionem Prætoriam perſonalem rei perſecutoriam de peculio, ea datur adverſus patrem, vel dominum, ut ſolvat, quatenus eſt in peculio filiif., vel ſervi, quocum contractus eſt initus. Jure quidem civili nemo ex alterius contractu obligatur, nec pater pro filio ſolvit; ſed Prætori ſufficit, quod pater permittit filiof. in peculio negotiari, & commoda inde percipit; ut ipſe pater quaſi contrahere videatur, & conveniatur ex præſumta voluntate. Iniqum enim eſt, ut creditores, qui cum filiof. contraxerunt, decipiantur. Actio autem de peculio neque in caſtrenſi, nec in quaſi-caſtrenſi, nec in adventitio peculio locum habet, ſed tantum

(a) *l. Item. illa* 18. §. *ult. ff. eod.*
(b) *l. ult. C. eod.*
(c) *l. Blanditus* 12. *C. de Fidejuſſor.*
(d) *l.* 1. *pr. ff. de Pec. conſtit.*
(1) Actioni conſtitutæ pecuniæ ſimilis erat *receptitia actio*, quæ dabatur tantum contra argentarios, ſeu menſarios, qui pecuniam, vel alias res quaslibet ſe ſoluturos certa die conſtituerant *l. Receptitia* 2. *C. de Conſt. pec.* cujus rei veſtigium extat in *l. 6.* §. *Rationem ff. de Edend.* Sed Juſtinianus receptitiam actionem ſuſtulit, eamque in actionem conſtitutæ pecuniæ transfudit *d. l.* 2. *C. de Conſt. pec.*

Digitized by Google

tantum in profectitio. Cum enim profectitium peculium in bonis patris ſit, ejuſque adminiſtratio dumtaxat filio ſit credita, æquum eſt, ex contractu filii patrem obligari, quatenus eſt in peculio. Ceterum peculium, deducto, quod patri, vel domino debetur, computandum eſſe, reſpondit Ulpianus: pater enim, & dominus præveniſſe, & cum filio, vel ſervo egiſſe creditur (*a*).

Actio porro in factum ex jurejurando datur ei, qui, adverſario deferente juramentum, juravit, ſibi rem deberi. In hac actione non quæritur amplius, utrum pecunia debeatur; ſed an juratum ſit (*b*). Ideo autem Prætor hanc actionem edicto propoſuit, quia jusjurandum ſive delatum, ſeu relatum ſpeciem tranſactionis continet; & majorem vim habet, quam res judicata, ut ait JCtus (*c*): qui enim jusjurandum defert, vel refert adverſario, eum in cauſa ſua judicem facit (*d*) (1). Ceterum adeo verum eſt, jusjurandum vim tranſactionis, & rei judicatæ habere, ut ob nova reperta inſtrumenta cauſa, de qua juratum, retractari non poſſit: quod tamen

(a) *l. Sed ſi damnum 9. §. 2. ff. de Pecul.*
(b) *l. Nam poſtquam 9. §. 1. ff. de Jurejur.*
(c) *l. Jusjurandum 2. ff. eod.*
(d) *l. 1. pr. ff. Quar. rer. act. non dat.*
(1) Jusjurandum triplex vulgo agnoſcunt Interpretes, *voluntarium*, *neceſſarium*, & *judiciale*. Voluntarium præſtari ajunt ex conventione partium etiam extra judicium; neceſſarium in re dubia judicem deferre dicunt; judiciale vero alterum alteri deferre, vel referre in judicio contendunt. Sed rectius fortaſſe Ger. Nood, Heineccius, aliique Græcos ſecuti neceſſarium jusjurandum definiunt, quod refertur ab eo, cui delatum eſt; judiciale vero, quod judex in re dubia ob inopiam probationis defert. *l. Admonendi 31. ff. de Jurejur. l. 12. §. 1. ff. de Reb. credit.*

tamen ſecus in judiciali jurejurando habet (*a*). Si quis vero pejeraverit, extra ordinem puniri poteſt (*b*).

Pœnales Prætoriæ actiones licet in Pandectis plures memorentur, tres tantum heic proponit Imperator. Prima eſt actio albi corrupti, per quam contemta Prætoris majeſtas vindicatur (*c*). Ea cuivis e populo datur adverſus eum, qui album Prætoris dolo malo corrupit ad pœnam 500. aureorum actori applicandam (*d*) (1). Quod ſi plures album corruperint, ſinguli in ſolidum tenentur, nec unius ſolutione reliqui liberantur (*e*). Ubi vero albi corruptor ob inopiam nequeat pœnam ſolvere, torquebitur (*f*). Cum autem doli mali in edicto mentio fiat, ſi quis per imperitiam, vel ruſticitatem, vel ab ipſo Prætore juſſus, vel denique caſu album corruperit, albi corrupti judicio non tenetur (*g*).

Actio in factum ex Edicto de in jus vocando datur parenti, vel patrono, aliiſque, qui eorum loco ſunt, contra edictum ſine venia in jus vocatis, adverſus eum, qui vocavit, in pœnam quinquaginta aureorum (*h*). Hoc edictum propoſitum a Prætore fuit ob reverentiam, quæ parentibus, & patronis

(a) *l. Admonendi* 31. *ff. de Jurejur.*
(b) *l. Si duo* 13. §. *ult. ff. eod.*
(c) *l. Si familia* 9. *ff. de Juriſdict.*
(d) *l. Si quis* 7. *ff. eod.*
(e) *l. Adeo* 8. *ff. eod.*
(f) *d. l.* 7. §. 3. *ff. eod.*
(g) *d. l.* 7. §. 4. *eod.*
(h) *l. Quique* 4. §. 1. *ff. de In jus voc.*

(1) Pœna 500. aureorum gravior viſa eſt Hotomanno: quare in *l.* 7. *pr. ff. de Juriſd.* legit *quinquaginta*: ſed Baſilica, & actoritas Florentina intercedunt. *Vid. Forner. l.* 3. *Rer. quot. c.* 2.

tronis debetur. Liberi autem in hoc edicto memorati tantum emancipati intelliguntur. Qui enim ſunt in poteſtate, adverſus parentem experiri non poſſunt. Ceterum hodie, ubi judex decernit citationem, ſimul veniam concedere videtur.

Poſtremo actio pœnalis, Prætoria, in factum ex edicto, *Ne quis eum, qui in jus vocatus eſt, vi eximat*, datur ei, qui aliquem in jus vocavit, adverſus eum, qui in jus vocatum exemit, aut dolo fecit, ut eximeretur, ut ſolvat tantum, quanti ab actore æſtimata ea res fuerit, de qua controverſia eſt (*a*). Sed hodie & qui album corrupit, & qui in jus vocatum exemit, corporali pœna apud nos coërceri ſolet.

Prima actionum diviſione expoſita, de præjudiciis ſermonem ſubnectit Tribonianus, de quibus dubitatum eſt, utrum perſonales, an reales actiones ſint. Sane quodcumque hujus controverſiæ ſit, quidquid prius judicatum ſequuturis deinde judiciis viam veluti ſternit ad judicandum, *præjudicium* appellatur. Actionum præjudicialium tres heic ſpecies exhibentur. Prima eſt, ubi quæritur, utrum quis liber ſit, an ſervus. Secunda, cum quæritur, utrum quis ingenuus ſit, an libertus. Tertia eſt de partu agnoſcendo. Ita ſi quis tamquam filius defuncti agat petitione hereditatis, & negetur eſſe filius, prius quæritur, an ſit filius: ea enim cauſa præjudicium facit petitioni hereditatis (*b*). Itidem ſi Titius teſtator arguitur ſervus fuiſſe, non prius quæritur, an teſtamentum rite conditum ſit, quam liberalis cauſa fuerit acta: ea enim expedita, reliquis controverſiis reſolvendis via ſterni-

(a) *l. Sed eximendi* §. 2. *l. Si per alium pr.* & §. 1. *ff. Ne quis eum, qui in jus voc.*

(b) *l. Si quis* 7. *ff. de Heredit. petit.*

ſternitur (*a*). Præjudicio autem de partu agnoſcendo experitur uxor repudiata adverſus maritum, ut filium agnoſcat. In hanc rem SCtum Plancianum factum eſt ſub Hadriano, quod nobis ſervavit Ulpianus (*b*).

Jam vero actorem inſtruit Tribonianus, quibus formulis in actionibus inſtituendis uti ipſum oporteat (*c*). Actiones quidem in rem ab actionibus in perſonam formulis JCtorum opera procuſis differebant (*d*). Actio, quæ perſonam, non rem convenit, hoc modo concipiebatur: *Ajo, te mihi dare, facere, oportere.* Actio vero in rem, per quam res ipſa convenitur, quaque actor intendit, rem ſuam eſſe, concipiebatur in hanc formulam: *Ajo, rem ex jure Quiritium meam eſſe* (*e*). Itaque, qui rem ſuam eſſe intendit, non poteſt petere, eam ſibi dari oportere: *dandi* enim verbum dominii translationem inducit; nec poteſt adhiberi in re noſtra petenda; nam, quod ſemel noſtrum eſt, amplius noſtrum fieri nequit (*f*) (1). Actiones in rem *vindicationes* proprie appellantur, a *vi* ſcil., quia vindicatio conſertis manibus in re præſenti agebatur, & in ea vis quædam adumbrata, & imaginaria fiebat, quam *civilem*, & *feſtucariam* appellat Gellius (*g*). Actiones vero in per-

(a) *l.* 1. *l. Si ſtatus* 4. *C. de Ordin. cognit.*
(b) *l.* 1. §. 1. *&* 3. *ff. de Agnoſc. liber.*
(c) §. 14. *h. t.*
(d) *l.* 2. §. 6. *ff. de O. J.*
(e) *l. Actionum* 25. *pr. ff. de O. & A.*
(f) §. 14. *h. t.*
(g) *Noct. Attic. XX. I.*
(1) Equidem domino datur actio in furem rei furtivæ condicendæ, ſeu recipiendæ cauſa, quæ dicitur *condictio furtiva*, eſtque actio in perſonam, qua actor intendit, eam rem ſibi dari oportere. Sed hujuſmodi actio inſtituta eſt odio furum, quo pluribus ipſi actionibus teneantur. *l. Ei, qui furti* 9. *ff. de Furt.*

perſonam *condictiones* dicuntur (a), quaſi denunciationes ſollemniter factæ. Sed Arcadius, atque Honorius edixerunt, ut lites, omiſſis denunciationum ambagibus, inſtituerentur (b).

Secunda Actionum diviſio.

Actiones vel ſunt *rei perſecutoriæ*, vel *pœnales*, vel *mixtæ*. Rei perſecutoriæ ſunt, quibus perſequimur, quod ex patrimonio nobis abeſt (c). Hæ vel in rem ſunt, vel in perſonam. Itaque rei perſecutoriæ ſunt & reales omnes, & perſonales, ſi ex contractu deſcendant. In hunc cenſum veniunt vindicatio, condictio certi ex mutuo, actio ex ſtipulatu, actio commodati, depoſiti, mandati, pro ſocio, emti venditi, locati. Mere poenales actiones ſunt, quæ ſolam pœnam perſequuntur. Hujuſmodi eſt actio furti manifeſti in quadruplum, & actio furti non manifeſti in duplum: utraque enim datur, ſalva actione in rem, & condictione furtiva (d). Mixtæ autem actiones dicuntur, quibus tam poenam, qua rem ipſam perſequimur. Ita mixta cenſetur actio vi bonorum raptorum in quadruplum, in quo & poena tripli, & rei perſecutio ineſt. Item mixta eſt actio legis Aquiliæ, & actio ex teſtamento, quæ adverſus heredem inficiantem legatum, vel fideicommiſſum datur in duplum (e).

Alio ſenſu quædam actiones mixtæ dicuntur, quod in illis uterque eſt, vel eſſe poteſt actor, & reus,

---

(a) *l. Actionum 25. pr. ff. de O. & A.*
(b) *l. pen. C. Th. de Denunciat.*
[c] *l. In honorariis 35. ff. de O. & A.*
(d) *l. Si pro fure 7. pr. ff. de Condict. furtiv.*
(e) *§. Ex maleficiis 18. h. t.*

reus, quæ idcirco vocantur *judicia duplicia* (*a*). In his tamen magis placet, eum videri actorem, qui prior ad judicium provocavit; & ſi ambo ſimul provocaverint, per ſortem diſcernitur, quis ſit actor, quive reus (*b*). Hoc ſenſu mixta dicuntur judicia familiæ erciſcundæ, communi dividundo, & finium regundorum: quæ ſane tam in rem ſunt, quam in perſonam; quia præter rem, perſonales præſtationes perſequuntur.

Actio porro familiæ erciſcundæ datur coheredibus de hereditate dividenda. In hoc judicium veniunt res univerſæ hereditatis. Proinde judex familiæ erciſcundæ nil debet indiviſum relinquere (*c*). Nomina quoque tam activa, quam paſſiva veniunt in hoc judicium, non ut dividantur, quia ipſo jure diviſa ſunt inter coheredes ex 12. tabulis; ſed ut officio judicis ſingulis heredibus aſſignentur (*d*).

Actio autem communi dividundo datur de re communi dividunda inter eos, inter quos communis eſt. Ab actione pro ſocio in eo hæc actio diſtat, quod actio pro ſocio magis ad perſonales invicem præſtationes pertinet; actio autem communi dividundo non ſolum præſtationes perſonales, ſed etiam res perſequitur (*e*).

Poſtremo finium regundorum actio inter eos redditur, qui conterminos agros habent. Ea & in rem eſt, & in perſonam. In rem eſt, quatenus per eam meum dominium vindico; in perſonam vero, quate-

(a) *l. Nihil* 2. §. 1. *ff. Comm. divid. l. Judicium* 9. *ff. Fin. regund.*
[b] *l. In tribus ff. de Judic.*
(c) *l. Heredes* 25. §. 20. *ff. Famil. erciſc.*
(d) *l.* 1. *ff. Comm. divid.*
(e) *d. l.* 1. *ff. eod.*

tenus, ſi fines dirimi non poſſunt, judex poteſt uni rem adjudicare, eumque condemnare, ut certam pecuniam alteri præſtet. Actio iſthæc datur, ut fines agrorum ſeu malitia vicinorum, ſeu incurſu hoſtium, ſeu fluminis irruptione turbati regantur per ſtipites, & lapides ab agrimenſore repoſitos, & præſtetur id, quod ejus nomine intereſt (*a*). Ubi vero fines dolo malo turbati ſint, concurrere etiam poteſt actio criminalis de termino moto (*b*).

Tertia Actionum Diviſio.

Actiones vel in ſimplum, vel in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum conſtituuntur: ultra quadruplum nulla lege actio datur (*c*). Tantum actio in id, quod intereſt, quadruplum excedere poteſt (*d*); & in quintuplum agitur a domino, & a fiſco in ſpecie a Conſtantino propoſita (*e*) (1). Omnes autem actiones ſunt in ſimplum, quæ nominatim a lege non dantur in duplum; licet ex eventu, & ex litis æſtimatione ad duplum perveniant (*f*). Itidem in ſimplum actio eſt, cum poenam repetimus certa lege conſtitutam. Proinde actio legis Aquiliæ, ſi res retro pluris fuit; actio de ſuſpenſo, & poſito in 10. aureos; actio in factum de in jus vocando in aureos 50.; & actio albi corrupti

(a) *l. Sed & loci* 4. §. 1. 2. *& pen. ff. Fin. regund.*
(b) *l.* 1. *ff. de Termin. mot.*
(c) §. 21. *h. t.*
(d) *Vid.* §. 10. *Inſt. de leg. Aquil.*
(e) *l. ult. C. de His, qui a non dom.*
(f) *Paulus Sentent. I.* 19.
[1] In octuplum etiam actionem Cicero memorat, ſed ex edicto Verris. *Verr.* 3. *c.* 13.

rupti in aureos quingentos, in ſimplum cenſetur.

Actiones in duplum ſunt, actio furti non manifeſti, ſervi corrupti (1), depoſiti miſerabilis, actio legis Aquiliæ, legati ad pias cauſas (*a*). Ex his tamen duæ priores ex ſe, & ſua natura in duplum dantur; poſteriores vero ex poſtfacto, & ob inficiationem creſcunt in duplum (*b*). Illud autem certum eſt, in actionibus, quæ ob inficiationem creſcunt in duplum, non extra rem duplum eſſe, ſed quod damni datum eſt, duplari (*c*). Proinde rerum æſtimationem, quas ſervus fugiens abſtulit, in hoc judicium venire, Paulus reſpondit (*d*).

In triplum agitur condictione ex lege contra actorem, qui dolo malo, utque adverſarium fatigaret, majorem quantitatem libello conventionis inſeruit, quo viatores, ſeu executores litium majorem ſummam ſportularum nomine conſequerentur (*e*). *Viatores* dicuntur, qui magiſtratuum juſſu alios arceſſunt (*f*). *Executores* autem *litium* ſunt, manus judicum militaris, qui ſententias ad effectum perducunt (*g*). Ceterum hodie cum ſportulæ viatoribus, & apparitoribus debitæ non a quantitate ſummæ petitæ, ſed a diſtantia loci, & numero millia-

(a) §. 23. *h. t.*
(b) §. 26. *h. t.*
(c) *l. Ut tantum* 14. §. 5. *ff. de Serv. corrupt.*
(d) *l. In hoc judicium* 10. *ff. eod.*
(e) §. 24. *h. t.*
(f) *Cicero in Vatin. c. 9. & pro Cluent.* 27.
(g) *l. Omnes* 33. §. 5. *ff. de Epiſc. & Cleric.*
(1) Quemadmodum actio ſervi corrupti directa datur adverſus eum, qui alienum ſervum corrupit; ita utilis actio datur de filiof. corrupto, officio judicis æſtimanda: noſtra enim intereſt, liberorum noſtrorum animos non corrumpi *l. Ut tantum* 14. §. 1. *ff. de Serv. corrupt.*

liarium æſtimentur, actio iſta ab uſu receſſit.

In quadruplum agitur actione furti manifeſti, actione, quod metus cauſa, actione in factum de calumniatoribus, condictione ex lege in viatores, qui majores ſportulas exigunt, quam ipſis debentur (*a*). Actio autem *quod metus cauſa* datur ei, qui per vim & metum coactus eſt rem ſuam tradere, vel debitum acceptum ferre, vel aliud facere, ex quo damnum ſenſerit. Hæc actio intra annum eſt in quadruplum, poſt annum in ſimplum; & in quadruplo rei perſecutio continetur; ut poena ſit tripli (*b*). Illud autem explorati juris eſt, hanc actionem non dari, niſi ob juſtum metum, qui cadat in virum conſtantem, puta mortis, cruciatus corporis, pudicitiæ amittendæ (*c*). Metum enim non jactationibus tantum, vel conteſtationibus, ſed atrocitate facti probari, Diocletianus, & Maximianus reſcripſerunt (*d*).

Actio vero calumniæ datur in eum, qui pecuniam accepit, ut alicui negotium faceſſeret, vel non faceſſeret, in quadruplum intra annum, poſt annum in ſimplum (*e*). Calumniator in publicis judiciis eſt, qui falſa crimina dolo malo intendit (*f*). In privatis vero judiciis *calumniator* dicitur, qui aliquem per fraudem iniqua lite divexat (*g*). Heic porro calumniator appellatur, qui pecuniam accepit, ut alicui litem intentet (*h*). Pecuniæ autem nomine in

(a) §. 25. *h. t.*
(b) *l. Item* 14. §. 1. & 2. *ff. Quod met. cauſ.*
[c] *l. Metum* 5. *l. Metum autem* 6. *ff. eod.*
[d] *l. Metum C. eod.*
[e] *l.* 1. *pr. ff. de Calumn.*
(f) *l.* 1. §. 1. *ff. ad SC. Turpill.*
(g) *l. Si cavilletur* 233. *ff. de V. S.*
(h) *l.* 1. §. 1. & 2. *ff. de Calumniat.*

in præſenti cauſſa venit omne compendium, veluti liberatio a debito, ab obligatione (*a*).

In apparitores vero, ſeu executores litium, qui præter modum ſportulas a reis exegerint, datur in quadruplum condictio ex conſtitutione Juſtiniani (1). Datur etiam actio de dolo in apparitores, qui in executione judicati pignora per dolum viliori pretio diſtraxerint (*b*). Quin & aliis remediis apparitorum protерviam coërceri placuit. Eos proinde nuda judicis interlocutione nudatos verberibus ſubjacere, edixerunt Honorius, & Theodoſius (*c*); & abſentes etiam damnari poſſe, reſcripſere, Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius; ne eorum prava venaliſque perfidia in publica commoda deſæviat (*d*).

Quarta Actionum diviſio.

Aliæ ſunt actiones *bonæ fidei*, aliæ *ſtricti juris*, aliæ *arbitrariæ*. Actiones *bonæ fidei* dicuntur, in quibus libera judici eſt poteſtas æſtimandi ex bono, & æquo, quod alter alteri præſtare debeat. *Stricti juris* actiones ſunt, in quibus judex adſtringitur certæ formulæ, & condematio fit ex jure, ſeu poteſtate obligationis, quatenus verbis expreſſum eſt (*e*). *Arbitrariæ* autem actiones ſunt, in quibus arbitrium judicis per modum interlocutionis interponitur, cui niſi reus pareat, gravius condemnatur (*f*). Scilicet Præ-

(a) *l. Quin etiam* 2. *ff. eod.*
(b) *l. Si pignora* 50. *ff. de Evict.*
(c) *l. Omnes* 12. *C. de Offic. Rect. provinc.*
(d) *l. Ne diu* 21. *C. de Pœn.*
(e) *l. Quidquid ff. de V. O.*
(f) §. 31. *h. t.*
(1) Iſthæc conſtitutio deſideratur in Codice repetitæ prælectionis; ſed recantata eſt in *Nov.* 124. *c.* 3.

Prætor ubi judicem dabat, formulam præſcribebat diverſam pro negotiorum diverſitate. Quibusdam ſane in negotiis liberior judicis facultas erat, ejuſque religioni relinquebatur, quatenus litigantes condemnandi forent. Judex ita datus ſolutam judicandi poteſtatem habebat, & prout æquius ei videbatur, reum tanti damnabat, quantum ex bona fide ipſum dare facere oportebat. Ex eo autem, quod judex ex bona fide judicare jubebatur in formula, actiones ipſæ *bonæ fidei* ſunt appellatæ. Contra in aliis negotiis Prætor certos judici præſcribebat in formula fines. Inde fiebat, ut nil aliud ei liceret, quam ut in petitam ſummam reum damnaret, veluti: *ſi paret, Mævium centum Cajo promiſiſſe, in centum Mævium condemna*. In his actionibus facultas judicis arctioribus finibus coërcebatur, quæ proinde *ſtricti juris ſunt* appellatæ.

Porro plures ſunt differentiæ inter actiones b. f. & actiones ſtricti juris. In actionibus b. f. ineſt actio, & exceptio doli, etiamſi non opponatur: quare emtio venditio nulla eſt, ſi dolus cauſam dederit contractui. At in contractibus ſtricti juris opus eſt, ut actio, vel exceptio doli opponatur (*a*): proinde ſubjici ſtipulationibus ſolet clauſula doli mali, i. e. *dolum malum abeſſe, abſuturumque* (*b*). Præterea, quæ ſunt moris, & conſuetudinis, etſi omiſſa ſint, in judiciis bonæ fidei veniunt (*c*). At in contractibus ſtricti juris, quidquid adſtringendæ obligationi eſt, id niſi palam ſit verbis expreſſum, omiſſum intelligitur (*d*). Quin in b. f. judiciis uſuræ veniunt

(a) *l. Sed & ſi* 21. *ff. Solut. matrim.*
(b) *l. Doli* 119. *ff. de V. O.*
(c) *l. Quod ſi nolit* 31. §. 20. *ff. de Ædilit. edict.*
(d) *l. Quidquid* 99. *pr. ff. de V. O.*

niunt ex mora officio judicis (*a*): at in judiciis ſtricti juris uſuræ non debentur, niſi ex ſtipulatu (*b*). Item pacta in continenti adjecta in judiciis b. f. pariunt actionem, & exceptionem tam ex parte actoris, quam ex parte rei (*c*): in contractibus ſtricti juris pacta inſunt tantum ex parte rei, i. e. non producunt actionem, ſed tantum exceptionem (*d*). Denique in contractibus b. f. compenſatio olim locum habebat, neutiquam in contractibus ſtricti juris (1). Sed conſtitutione Juſtiniani compenſatio fit ipſo jure in omnibus judiciis. Non fit autem compenſatio, niſi debiti liquidi, & præſentis (*e*).

Jam vero actiones b. f. ſunt omnes, quæ oriuntur ex contractibus, qui conſenſu perficiuntur, ut actio emti venditi, locati conducti, emphyteuticaria,

---

[a] *l. Mora* 32. §. 2. *ff. de Uſur.*
[b] *l. Titius* 24. *ff. de Præſcript. verb.*
(c) *l. Juris gentium* 4. §. 5. *ff. de Pact.*
(d) *l. Si ita* 135. §. 2. *ff. de V. O. l. Lecta* 40. *ff. de Reb. credit.*
(e) *d. l. ult. C. de Compenſat.*

(1) In judiciis ſtricti juris compenſatio olim locum non habebat; ſed poſtea reſcripto D. Marci fuit introductum, ut in his judiciis, oppoſita exceptione doli mali, admitteretur. Quin Juſtinianus edixit, ut in omnibus judiciis tam in rem, quam in perſonam, tam bonæ fidei, quam ſtricti juris compenſationi locus eſſet. *l. ult. C. de Compenſ.* Tantum in actione depoſiti compenſatio non admittitur, ne ſub prætextu compenſationis fraudetur depoſiti ſanctitas. *l. Si quis* 11. *pr. C. Depoſ.* Idem obtinet in interdicto *Unde vi*, ſeu actione poſſeſſoria *redintegrandæ*, quam dicunt *l. ult.* §. 2. *C. de Compenſ.* Fiſco etiam non opponitur compenſatio in cauſa tributorum, & vectigalium *l. In ea* 3. *C. eod.*

ria, pro ſocio, mandati. Ex contractibus autem, qui re perficiuntur tres ſunt actiones b. f. commodati ſcil., depoſiti, pignoratitia. Ex quaſi-contractu b. f. actiones ſunt, negotiorum geſtorum, tutelæ, familiæ erciſcundæ, communi dividundo. Itidem b. f. ſunt actiones præſcriptis verbis æſtimatoria (1), & ex permutatione. Præter has duas actiones eſt & actio præſcriptis verbis de precario, quæ ex b. f. oritur (*a*). Sed Juſtinianus in cenſu actionum b. f. hanc omiſit, fortaſſe quia minus uſu frequentaretur, magis arridente uſu interdicti eo nomine comparati. Poſtremo actiones b. fidei ſunt hereditatis petitio (2), & actio rei uxoriæ, ſive actio ex ſtipulatu de dote (3).

Actio-

(a) *l. Ait Prætor 2. ff. de Precar.*

(1) Actio præſcriptis verbis æſtimatoria eſt actio in perſonam civilis, bonæ fidei, comparata adverſus eum, qui rem æſtimatam vendendam accepit, ut aut rem ipſam incorruptam reddat, aut rei æſtimationem, de qua convenit *l. 1. ff. de Æſtimat. act.*

(2) Dubitatum olim fuit, utrum hereditatis petitio eſſet actio b. f., necne. Sed Juſtinianus actionem b. f. eam haberi juſſit *l. ult. in fin. C. de Petit. heredit.* Petitio enim hereditatis etſi actio ſit in rem, habet tamen quasdam præſtationes perſonales, veluti nominum, quæ a debitoribus exacta ſunt, vel pretii redacti ex venditione rerum hereditariarum; propter quas perſonales præſtationes potuit referri inter actiones bonæ fidei *l. Sed etſi 25. §. 18. ff. eod.* Eſt autem petitio hereditatis actio in rem, quæ datur heredi adverſus eum, qui pro herede, vel pro poſſeſſore poſſidet, ut reſtituat hereditatem, vel ejus partem cum omni cauſa *l. Regulariter 9. ff. eod.*

[3] Antiquitus duæ propoſitæ erant actiones dotis recuperandæ cauſa, *rei uxoriæ*, & *ex ſtipulatu*. Illa erat bonæ fidei; hæc ſtricti juris. At Juſtinianus actionem

rei

Actiones autem arbitariæ, in quibus judex interloquitur, ut reus actori rem reſtituat, &, niſi paruerit, condemnetur (*a*), ſunt tam in rem, quam in perſonam. In rem arbitrariæ ſunt actiones Publiciana, Serviana, quaſi-Serviana: in perſonam vero eſt actio, quod metus cauſa, actio de dolo, actio de eo, quod certo loco, actio ad exhibendum (*b*).

Quinta Actionum diviſio.

QUibusdam actionibus certum petitur, quando ſcil. apparet, quid, quale, & quantum in pe-

rei uxoriæ ſuſtulit, eamque in actionem ex ſtipulatu transfudit; ita tamen, ut actio ex ſtipulatu de dote exinde bonæ fidei eſſet *l. un. C. de Rei ux. act.* Quin voluit, ut dotis contractui ineſſet tacita ſtipulatio de dote reddenda, eoque nomine dari actionem ex ſtiputu voluit, licet nulla ſtipulatio intervenerit. Tum & tacitam hypothecam mulieri eſſe juſſit in bonis mariti *l. Aſſiduis* 12. *C. Qui potior.* eamque præferri edixit omnibus mariti creditoribus tam perſonalibus, quam hypothecariis, & expreſſam, & tacitam hypothecam habentibus. Hoc porro privilegium ad heredes extraneos transferri noluit, niſi ſint liberi communes; nec locum habere contra fiſcum, inter quem, & mulierem ſpectatur temporis privilegium; nec contra eum, qui pecuniam credidit marito militiæ emendæ cauſa, ſi is prior ſit *l. Quamvis* 2. *C. de privil. Fiſc. Auth. Quod obtinet C. de Pignor.* Dotem autem numeratam eſſe oportet: numeratio ſiquidem, non cautio dotem facit, uti reſcripſerunt Severus, & Antoninus *l.* 1. *C. de Dot. caut. non numer.*

(a) *l. Arbitrio* 18. *pr. ff. de Dol. mal.*

(b) §. 31. *h. t.*

petitione ſit ; quibusdam incertum petitur, uti in petitione hereditatis, obligatione alternativa, genere debito, & eo, quod intereſt (*a*). Quamvis vero incerta ſumma petatur, judex certam ſententiam, quoad ejus fieri poterit, ferre debet. Sententia enim, niſi finem imponat controverſiæ, ipſo jure nulla eſt, ne lis ex lite oriatur (*b*). Certa autem ſententia eſſe poteſt vel per ſe, vel per relationem ad libellum conventionis, vel ad inſtrumentum obligationis (*c*).

Actor porro providere debet, ne plus petat, quam ipſi debetur. Plus autem petitur *re*, *tempore*, *loco*, *cauſa*. Re plus petitur, ſi ſumma major; tempore, ſi ante diem; loco, ſi minus commodo; cauſa, ſi ſpecies pro genere petatur. Olim qui plus petebat, cauſa cadebat ex jure X-Virali (*d*); nec facile reſtituebatur in integrum a Prætore, niſi eſſet minor 25. annis, vel juſto errore deceptus plus petiiſſet, puta ſi petiiſſet totum legatum, ignorans codicillis pro parte ademtum (*e*). Sed Zenonis conſtitutione, qui plus tempore petit, alterum tantum tempus expectare debet, ſine ullo commodo uſurarum (*f*). Qui vero plus alio modo petit, compellitur ex conſtitutione Juſtiniani adverſario reſtituere in triplum ampliores ſportulas eo nomine apparatas

(a) *l. Si pœnam 68. ff. de V. O. l. Quatenus 24. ff. de R. J. l. un. C. de Sent. quæ pro eo &c.*

(b) *l. Hæc ſententia 3. C. de Sent. quæ ſine cert. quantit.*

(c) *l. Ait Prætor 5. §. 1. l. In ſententiis 59. §. 1. ff. de Re judic.*

[d] *Cic. 1. de Orat.*

(e) *§. 33. h. t.*

(f) *l. 1. C. de Plus petition.*

Google

paritoribus datas (*a*). At ſi vero actor minus petiverit, licebit quidem ipſi mutare, ſeu emendare libellum conventionis; modo non fiat reo detrimentum (*b*). Niſi vero actor libellum petitionis emendaverit ante ſententiam, non poteſt judex adjudicare ultra petita: ſententia enim debet eſſe libello conſentanea (*c*). Quod ſi porro quis per errorem aliud pro alio petierit, veluti Erotem pro Sticho; aut ſi quis actione ex teſtamento petierit, quod ex ſtipulatu debetur, eodem judicio is quidem corrigere libellum poteſt (*d*). Ineptæ enim actionis electio perimit quidem inſtantiam judicii, non perimit tamen aptam, & congruentem negotio actionem (*e*).

Sexta Actionum Diviſio.

QUibusdam actionibus ſolidum, ſeu totum debitum conſequi poſſumus: quibusdam vero non totum debitum, ſed debiti partem conſequimur. Minus, quam ſolidum conſequimur vel ex natura ipſius actionis, ut in actione de peculio adverſus patrem, vel dominum, quatenus eſt in peculio filiif., vel ſervi (*f*), vel propter perſonas, cum quibus agimus, ſi nimirum iis competat beneficium competentiæ, vel ceſſionis bonorum.

Beneficium competentiæ eſt privilegium certis quibuſdam perſonis datum, quo conveniri nequeunt ultra

(a) *l. Zenonis* 2. §. 2. *C. eod.*
(b) *l. Edita* 3. *C. de Edend.*
(c) *l. Ut fundus* 18. *ff. Comm. divid.*
(d) *d. l. Edita* 3. *C. de Edend.*
(e) *l. Cum indebitum* 57. *ff. de Condict. indeb.*
(f) §. 36. *h. t.*

ultra id quod facere poſſunt (1). Hoc beneficio gaudet maritus, qui de dote, aut ex alio contractu convenitur ab uxore; & uxor, quæ convenitur a marito. Item hoc privilegium habet pater, patronus, ſocius non tantum particularis, ſed etiam univerſalis, donator, qui ex ſua liberalitate convenitur, ſocer, ſtante matrimonio, a genero conventus, & miles (*a*). Hujuſmodi autem beneficium cum perſonale ſit, nec heredibus prodeſt, nec fidejuſſoribus (*b*).

Ceſſio denique bonorum eſt actus, quo debitor omnia bona ſua creditoribus dat in ſolutum, quotidiana tantum veſte retenta, ut a carceris poena liberetur. Illud autem certum eſt, per ceſſionem bonorum a lege Julia inventam, debitorem non liberari a creditoribus, quoad ſolidum ſolvat. Proinde ſi quid poſtea adquiſiverit, quo Prætor moveri queat, convenitur, quatenus facere poteſt (*c*). Obligagatio enim ſolutione extinguitur.

TI-

(a) *l. Patronus* 17. *l. Item* 18. *l. Non tantum* 20. *l. Sicut* 21. *ff. de Re judic.*

(b) *l. Exceptiones* 7. *pr. ff. de Except.*

(c) *l. Is qui* 4. *l. Qui bonis* 6. *l. Si debitori* 7. *ff. de Ceſſ. bonor.*

(1) Hæc verba *quod facere poſſunt*, idem ſonant, ac ſolvere, quatenus debitoris facultates patiuntur, ſalvo ſtatu, & dignitate; ut aliquid ei relinquatur, unde ſe alat *l. Sunt qui* 16. *ff. de Re judic.*

TITULUS VII.

Quod cum eo, qui in aliena poteſtate eſt, negotium geſtum eſſe dicitur.

Aliæ ſunt actiones, quæ contra nos dantur ex contractu noſtro, aliæ ex contractu alieno. Licet enim ſecundum juris Romani regulas ex alterius contractu nemo conveniri poſſit (*a*); tamen Prætor, juris civilis aſperitate emollita, ex novis qualitatibus, quæ contractibus ineſſe ſolent, actionem accomodavit ex alterius obligatione adverſus alterum. Ita ſane ex promiſſione filiif. actionem adverſus patrem non dedit, Si vero juſſu patris filius promiſiſſet, ex nova illa qualitate adverſus parentem actio ex edicto dabatur. Hujuſmodi actiones *adjectitias* vocant Interpretes, veteres JCti *adjectiones* dixerunt (*b*). Hoc autem in loco ſex adjectitiæ qualitatis actiones exhibet Tribonianus, *Quod juſſu*, *Exercitoriam*, *Inſtitoriam*, *Tributoriam*, *de Peculio*, *de In rem verſo*.

Actio *quod juſſu* ab initialibus edicti verbis ſic dicta datur ei, qui cum filiof., vel ſervo contraxit, adverſus patrem, vel dominum, cujus juſſu filius, vel ſervus contraxit, in ſolidum, quatenus pater juſſerit. Juſſiſſe intelligitur pater, aut dominus, qui mandavit, vel quoquo modo ratum habuit vel per ſe, vel per nuntium, vel per epiſtolam. Ideo autem hanc actionem Prætor ex edicto dedit, quia is, qui cum ſervo, vel filiof. ex juſſu domini, vel pa-

(a) *l. Quæcumque* 11. *ff. de O. & A.*
(b) *l. Filiusf.* 19. *in fin. ff. de In rem verſ.*

patris contraxit, quodammodo cum eo, qui iuſſit, contraxiſſe videtur, ut ait Ulpianus (*a*). Hæc porro actio locum habebit, ubi filiusf. a patre contrahere juſſus in ſuum nomen contraxit : ubi vero ut patris miniſter, ejuſque nomine agit, pater directa tenetur (*b*). Ceterum in eo juſſus a mandato differt, quod juſſus refertur ad eas perſonas, quas in poteſtate habemus; mandatum reſpicit liberas perſonas, quæ in poteſtate noſtra non ſunt. Proinde ſi pater mandet uti pater, filio pecuniam credi, non tenetur mandati, ſed *quod juſſu* : ſi mandet non uti pater, ſed uti quilibet extraneus, filio credi pecuniam in rem ſuam, tenebitur mandati (*c*).

Actio exercitoria datur ei, qui cum magiſtro navis contraxit ejus rei gratia, cui is præpoſitus eſt, adverſus exercitorem in ſolidum (*d*). *Exercitor* dicitur ille, ad quem quotidianus navis quæſtus pertinet, ſive dominus ſit navis, ſive navim per averſionem conduxerit (*e*). *Magiſter* autem navis vocatur, cui totius navis cura demandata eſt (*f*). *Submagiſter* vero, ſeu *Promagiſter* eſt, qui a magiſtro, ſive ſciente, ſeu ignorante exercitore, imo & ipſo invito, ſubſtituitur (*g*). Illud porro certum eſt, ubi plures navim exerceant, ſingulos teneri in ſolidum (*h*), ne in plures diſtringatur, qui cum uno contraxit (*i*). Quin contrahenti datur electio, utrum ad-

(a) *l. 1. pr. ff. Quod juſſ.*
(b) *l. ult. pr. ff. eod.*
(c) *l. Si tibi* 8. C. *Mandat.*
(d) *l.* 1. §. 7. *&* 8. *ff. de Exercit. act.*
(e) *l.* 1. §. 15. *ff. eod.*
(f) *d. l.* 1. §. 1. *ff. eod.*
[g] *d. l.* 1. §. 5. *ff. eod.*
(h) *d. l.* 1. §. *ult. ff. eod.*
(i) *l. Ne in plures* 2. *ff. eod.*

adverſus exercitorem hac actione, an contra magiſtrum directa uti velit (a).

Actione inſtitoria ille experitur, qui cum inſtitore contraxit, ejus rei gratia, cui hic præpoſitus eſt, adverſus eum, qui inſtitorem præpoſuit, in ſolidum (b). *Inſtitor* eſt, qui tabernæ, locove ad emendum, vendendumve præponitur (c). Nihil autem intereſt, cujus conditionis, ſexus, aut ætatis ſit inſtitor (d): quod etiam de magiſtro navis verum eſt (e) (1). Porro ideo dominum ex contractu inſtitoris teneri placuit, quia æquum Prætori viſum eſt, ſicut ex actu inſtitoris commodum dominus ſentit; ita etiam ex illius contractu eum obligari, & conveniri (f). Ceterum hæc ita ſe habent, ſi præpoſitionis leges fuerint ſervatæ: ſi ſecus factum, inſtitoria actio fruſtra inſtituetur (g). Voluntas ſiquidem præponentis fundamentum eſt hujus, & præcedentis actionis (h).

Actio Tributoria datur creditoribus, qui cum filio,

(a) *d. l.* 1. §. 17. *ff. eod.*
(b) *l. Cuicumque* 5. §. 11. *ff. de Inſtit. act.*
(c) *l. Inſtitor* 18. *ff. eod.*
(d) *l.* 7. §. 1. *ff. eod.*
(e) *l.* 1. §. 16. *ff. de Exercit. act.*
(f) *l.* 1. *pr. ff. de Inſtit. act.*
(g) *l. Sed ſi pupillus* 11. §. 2. *ff. eod.*
(h) *l. Cuicumque* 5. §. 11. *ff. eod.*
(1) Inter exercitoriam, & inſtitoriam actionem illud potiſſimum intereſt, quod illa ad maritimam negotiationem, cujus maximus erat favor; hæc ad terreſtrem pertinet. *Horat. Carm. III. ode* 6,

. . . Seu vocat inſtitor,
Seu navis Hiſpanæ magiſter,
Dedecorum pretioſus emtor.

lio, vel ſervo, ſciente patre, vel domino, in merce peculiari contraxerunt, adverſus patrem, vel dominum, ut merces inter ſe, & creditores æqualiter dividat, aut diviſionem inique factam corrigat (a). In hanc autem diſtributionem, quam Prætor patri, vel domino facere permiſit, non totum filii, aut ſervi peculium venit, ſed tantum merx peculiaris, i. e. pars peculii ad negotiandum proprio nomine filio, ſervove a patre, vel domino data (b). Duo porro in hac actione requiruntur, & ut negotiatio in merce peculiari; & ut ſciente patre, vel domino facta ſit: ſcire autem intelligitur, qui tacet, & non contradicit (c). Quod vero diximus, ipſum patrem peculiarem mercem creditoribus diſtribuere ex edicto Prætoris, id quidem locum habet, ſi pater velit: quod ſi id facere nolit, peculiaribus mercibus cedere debebit; quo caſu Prætor plerumque dat arbitrum, cujus interventu peculiares merces diſtribuantur (d).

Actio de peculio ex Edicto datur adverſus parentem, aut dominum ob filiif., aut ſervi contractum. Hac tamen actione non ſemper ſolidum conſequitur actor, ſed tantum quatenus eſt in peculio. Ceterum actio de peculio reſpicit ſolum peculium profectitium: ob peculium enim caſtrenſe, quaſi-caſtrenſe, & adventitium ipſe filius conveniri poteſt. Quamdiu autem filiusf. ſub patria poteſtate fuerit, illhæc actio perpetua eſt: at patria poteſtate ſoluta, ultra annum ea non datur: annum autem in hac ſpecie utilem computari, ait Ulpianus (e).

Po-

(a) *l.* 1. *pr. ff. de Tribut. act.*
(b) *l.* 1. §. 2. *ff. eod.*
(c) *d. l.* 1. §. 3. *ff. eod.*
(d) *l. Illud* 7. §. 1. *ff. eod.*
(e) *l.* 1. §. 1. & 2. *ff. Quand. de pecul. act. annal. eſt.*

Poſtrema adjectitiæ qualitatis actio eſt de in rem verſo. Ea illi datur, qui cum filio, vel ſervo contraxit, adverſus patrem, vel dominum, ut ſolvant, quatenus in rem ipſorum verſum eſt (*a*). In rem patris, vel domini verſum intelligitur, quidquid a filiof., vel ſervo in eorum utilitatem expenſum. Ita ſi filiusf. ædes paternas ruentes ex pecunia mutuo ſumta fulſit, vel ejus familiam aluit, aut ipſius æs alienum ſolvit, aut ſe aluit, datur creditori actio de in rem verſo. Iniquum enim eſt, patrem ex creditoris damno fieri locupletiorem (*b*). Quod ſi vero filiusf. voluptuarias impenſas ex pecunia mutuo ſumta fecerit, non datur creditori actio de in rem verſo, niſi voluntate patris factæ probentur. Tantum in hac ſpecie creditori licebit, eas auferre; modo id ſine rei detrimento fieri poſſit (*c*). Illud autem inter actionem de peculio, & de in rem verſo intereſt, quod actio de peculio poſt emancipationem filii, & manumiſſionem ſervi annalis eſt (*d*); actio vero de in rem verſo perpetua eſt, i. e. durat annos triginta (*e*).

Interdum contingere poteſt, ut ob eumdem contractum a filiof., vel ſervo initum plures ſimul adjectitiæ qualitatis actiones competant. Hoc ſane caſu utiliorem, & commodiorem ex Triboniani conſilio eliget actor. Ita ſi filiusf. peculiatus tabernæ ſit præpoſitus, variæ actiones adjectitiæ elective concurrere poſſunt, ex quibus creditor, prout expedire ſibi videbitur, unam eliget; nec, altera inſtituta, regre-

(a) *l.* 1. *pr.* & §. 2. *ff. de In rem verſ.*
(b) *l.* 206. *ff. de R. J.*
(c) *l. Quod ſi* 3. §. 4. *ff. de In rem verſ.*
(d) *l.* 1. §. 1. *ff. Quand. act. de pecul.*
(e) *l.* 1. §. 1. *ff. de In rem verſ.*

gredi licebit ad alteram (*a*) . Eligere autem actor eam debet, qua ſolidum conſequitur, nimirum *quod juſſu* , *Exercitoriam*, *Inſtitoriam*. Præterea eam eliget, quæ probatu facilior eſt, veluti, *Quod juſſu*. Difficilior probatu eſt *de in rem verſo*.

Quæ hucuſque enarravimus & in ſervis, & in filiisfamilias obtinent. Illud autem eſt animadvertendum, adverſus filiosf. non ſolum adjectitiæ qualitatis actiones competere; ſed ipſos quoque ex omnibus cauſis obligare ſe poſſe. Filii ſane familias ratione extraneorum habent perſonam civilem , & ex omnibus contractibus civiliter obligantur , & conveniuntur , tamquam patres familias (*b*). Tantum ob pecuniam mutuo acceptam non obligantur. Cautum id SCto ſub Claudio facto, & ſub Veſpaſiano repetito (1), quod a Macedone perditiſſimo adoleſcente nomen accepit. Itaque Senatui placuit, ne *cui, qui filiofamilias pecuniam mutuam dediſſet, actio, petitioque daretur* (*c*). Licet autem SCtum de filiof. loquatur; tamen JCti ad filias etiam familiarum, ad nepotes, & pronepotes illud extenderunt (*d*). Pecuniæ autem nomine ſola pecunia numerata deſignatur . Proinde ſi alia res filiofamilias mutuo data ſit, aut ex alio contractu res bona fide credita, non eſt locus SCto Macedoniano; niſi id in fraudem SCti fuerit factum ; ve-

(a) *l. 9. ff. de Tribut. act.*
(b) *l. Filiusf. 39. ff. de O. & A.*
[c] *l. 1. pr. ff. de SC. Maced.*
(d) *l. Sed ſi 9. §. 2. ff. l. Si filius 6. §. 1. C. eod.*
(1) Tacitus *Annal. XI. 13. Lege lata Claudius ſævitiam creditorum coërcuit, ne in mortem parentum pecuniam filiisfamilias fœnori darent*. Et Suetonius *in Veſpaſian. c. 11. Auctor Senatui fuit decernendi, ne filiorumf. fœneratoribus exigendi crediti jus umquam eſſet, h. e. ne poſt patrum quidem mortem*.

veluti ſi quid filiof. cariusligatus remanet (*a*).
mutuo detur, ut inde numm[illegible] delicto ſervi noxalis
vero SCtum Macedonianum no[illegible]; ita & ex delicto
parentum favore ſit factum, ſed[illegible]is patrem. Sed diu
fœneratorum; hinc adverſus filiosf[illegible]ris abolita fuit.
ta eſt, & ubi pecunia conſumta fuerit[illegible]gis, quam
iam in peculio adhuc extet (*b*). Quiſ[illegible]onſulatur
emancipationem, & poſt patris obitum fil[illegible]e ſunt
pecunia mutuo accepta fruſtra convenitur (*c*).

Jam vero plures occurrunt in jure ſpecies, in quibus SCtum Macedonianum ceſſare placuit. Ita ſi filiusf. ſui juris publice videatur, aut patris voluntate contraxerit; ſi in eam rem pecuniam accepit, quæ patris oneribus incumberet; vel ſuæ poteſtatis conſtitutus novatione facta fidem ſuam obligavit; vel alias agnovit debitum, non eſſe locum decreto ampliſſimi ordinis, reſcripſerunt Severus, & Antoninus (*d*).

TITULUS VIII.

De Noxalibus Actionibus.

NOxa eſt corpus, quod nocuit, i. e. auctor delicti; *noxia* eſt ipſum maleficium, veluti furtum, rapina, damnum injuria (*e*); licet interdum hæc vocabula promiſcue accipiantur (*f*). Ex noxa itaque ſervi

(a) *l. Si quis* 3. §. 3. *ff. eod.*
(b) *l. Sed ſi* 9. §. 2. *ff. eod.*
(c) *l.* 1. *pr. ff. eod.*
(d) *l. Zenodorus* 2. *C. eod.*
(e) §. 1. *h. t.*
(f) *l.* 1. *ff. eod.*

ſervi noxalis actio datur in dominum, ut ſervum noxæ dedat, aut damni æſtimationem præſtet (*a*). Iſthæc actio adverſus dominum competit ex delictis ſervi privatis; publica enim crimina puniuntur extra ordinem, & pœna capitali coërcentur (*b*). Ideo autem ex delicto ſervi tenetur dominus noxali actione, quia præſtat factum ſervi propter regulam: *ex qua perſona quis lucrum capit, ejus factum præſtare debet* (*c*). Per noxæ porro deditionem dominus liberatur. Iniquum enim foret, nequitiam ſervorum ultra eorum corpora dominis damnoſam eſſe (*d*) Ceterum ubi dominus noxæ deditione liberatur, dominium ſervi dediti transfertur in eum, cui deditus eſt (*e*).

Jam vero noxales actiones aut legibus, aut edicto Prætoris conſtitutæ ſunt. Ita actio furti ex lege 12. tabularum, damni injuria dati ex lege Aquilia deſcendit: actio vero injuriarum, & vi bonorum raptorum ex edicto Prætoris promanat (*f*). Noxalis vero actio caput ſequitur, i. e. dominum; quia dominus caput eſt ſervi, cui caput in civitate non eſt. Ceterum quamdiu ſervus in poteſtate eſt, noxalis actio adverſus dominum competit: at ſi ſervus fuerit manumiſſus, principali nomine ipſe poſt manumiſſionem tenetur ex delicto ante manumiſſionem commiſſo (*g*). Servus enim ex contractu quidem civiliter non obligatur, ſed obligatur ex delicto; & poſt

(a) *pr. h. t.*
(b) *l. Hæc ſtipulatio* 200. *ff. de V. S.*
(c) *l. Ex qua perſona* 149. *ff. de R. J.*
(d) §. 1. *h. t.*
(e) §. 3. *h. t.*
(f) §. 4. *h. t.*
[g] §. 5. *h. t.*

& poſt manumiſſionem obligatus remanet (*a*).

Quemadmodum ex privato delicto ſervi noxalis actio dabatur adverſus dominum ; ita & ex delicto fili:familias competebat actio adverſus patrem. Sed diu ante Juſtinianum noxæ deditio in liberis abolita fuit. Per filiorum enim corpus parentes magis , quam filii periclitantur ; & publice intereſt, ut conſulatur filiarum pudicitiæ (*b*). Sed hæc nullius hodie ſunt uſus.

TITULUS IX.

Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur.

SIcut homo liber *damnum* dat; ita & ſervus, vel filiusfamilias *noxiam* infert; & quadrupes *pauperiem* facit. Pauperies itaque eſt damnum ſine injuria facientis, i. e. ſine dolo, & culpa : bruta enim ratione carent: nulla autem eſt injuria, niſi a conſilio profecta, ut ait Seneca (*c*). Actio porro de pauperie datur ei, cui quadrupes damnum dedit, aliiſque, quorum intereſt, adverſus dominum quadrupedis, ut aut damni æſtimationem præſtet, aut quadrupedem noxæ dedat. Actio iſta ipſos X-Viros auctores agnoſcit, uti teſtatur Tribonianus (*d*). Damnum autem, quod actione de pauperie vindicatur, a quadrupede contra naturalem manſuetudinem illatum ſit, oportet. Ita ſi bos cornu damnum intulit, vel calce equus aliquem petiit, actioni quadrupedariæ

(a) *l. Servi ff. de O. & A.*
(b) §. *ult. h. t.*
(c) *Seneca lib. II. de Ira 26.*
(d) *pr. h. t.*

riæ locus eſt. Ubi vero alterius culpa pauperies facta ſit, actione quadrupedaria ceſſante, agetur ex lege Aquilia (*a*). Quin ſi quis bovem cornupetam irritavit, aut ſibi ab eo non cavit, de ſe queri debet; maxime ſi dominus fœnum cornibus ejus alligarit (*b*). Ceterum ubi animal naturam ſecutus damnum intulit, noxalis de pauperie actio non datur. Proinde ſi alienas ſegetes bos depaſcatur, actioni de *paſtu pecoris* locum eſſe, voluere X-Viri.

Actioni de pauperie affinis eſt illa, quæ datur ex edicto Ædilitio, quo cautum eſt, ne quis canem, verrem, aprum, aut aliud animal, quod nocere poſſet, eo loco haberet, qua vulgo iter fit. Si quis contra edictum fecerit, & homo liber occiſus ſit, tenetur dominus in ducentos ſolidos: quod ſi homini libero nocitum fuerit, pœnæ arbitrariæ ſubjicietur: at ſi aliis rebus damnum ſit illatum, in duplum damni dati condemnabitur (*c*).

TITULUS X.

De Iis, per quos agere poſſumus.

NEmini olim licebat alieno nomine in judicio experiri (1); niſi pro populo, pro libertate, pro pupillo.

(a) *l.* 1. §. 4. *ff. h. t.*
(b) *l. Hæc actio* 2. *ff. eod.*
(c) §. *ult. h. t.*
[1] Is juris civilis rigor inde oriebatur, quod per extraneam perſonam nihil adquiri poterat *l. Quo tutela* 73. §. *ult. ff. de R. J.* Præterea cum omnes actiones, atque exceptiones in ſtipulationem deducerentur, cumque ſtipulari alteri nemo poſſet, nemini pro alio agere in judicio licebat. Poſtremo omnes actiones certis formulis

pillo. Pro populo licebat alteri experiri, quia populus non poteſt agere, niſi per actorem, vel ſyndicum. Pro libertate quoque alieno nomine agi poteſt; ut ſi cui ſtatus controverſia moveatur, cuivis liceat eum in libertatem aſſerere (*a*). Nec vero poteſt quisquam pro libertate agere, niſi dato aſſertore; ne forte ſervus lege agat adverſus dominum. *Aſſertor* autem eſt vindex alienæ libertatis (*b*). Pro pupillo poſtremo cuivis agere licet, tutorem ſuſpecti poſtulando: actio enim ſuſpecti tutoris eſt popularis (*c*). Quin etiam lege Hoſtilia licuit furti agere eorum nomine, qui apud hoſtes eſſent, aut reip. cauſa abeſſent, quive in eorum poteſtate forent (*d*). Hoc ideo conſtitutum, ne abſentium bona impune diriperentur, & ne res furto ſublatæ interim dilaberentur.

Extra hos caſus olim alieno nomine agere non licebat. Sed quia is juris rigor negotiis, & litibus expediendis impedimento plerumque erat, JCtis adlaborantibus, procuratorum uſus receptus (*e*). Ut autem, ſalva juris civilis reverentia, JCti procuratorum operam conſtituerent, docuerunt, dominium litis per conteſtationem in procuratorem transferri. Quamobrem, in eum actione translata, actus omnes judiciales ſuo veluti nomine procurator expedit; atque ipſius major ratio, quam domini habetur ex jure Romano (*f*).

Jam

---

mulis conceptæ erant, quæ procuratorem reſpuebant. *l.* 123. *ff. de R. J.*

(a) *l.* 1. *C. Th. de Liberal. cauſ.*

(b) *Paul. Sentent. V.* 1.

(c) *l.* 1. §. 6. *ff. de Suſpect. tutor.*

(d) *pr. h. t.*

(e) *pr. h. t.*

(f) *l. Ab executore* 4. §. *ult. ff. de Appellat.*

Jam vero procurator in genere eſt, *qui res alienas adminiſtrat*. Is autem vel ad lites conſtituitur, quem Paulus vocat *ad actionem* (*a*); vel ad negotia extrajudicialia, qui mandatarius vulgo appellatur, & Ciceroni *alieni juris vicarius* dicitur (*b*), Procurator autem ad litem duplex eſt, vel in ſpecie procurator, vel defenſor. Ille litem domini mandato perſequitur, vel perſequendam ſuſcipit, & tam ab actore, quam a reo conſtituitur (*c*): *defenſor* vero ſine mandato reum abſentem defendit, & occupat litem, præſtita cautione de rato, & judicatum ſolvi (*d*).

Porro procuratorem ei conſtituere licet, qui eſt dominus negotii, quique ſeipſum obligare poteſt, ſive actor ſit, ſive reus; modo habeat jus mandandi, litigandi, ac bona ſua adminiſtrandi. Sine mandato autem procurationis nemini procuratorem agere datur, niſi certis quibusdam perſonis, quibus ob conjunctionem alieno nomine experiri conceditur ſine mandato. Ita pater, filius, frater, affinis ſine mandato agunt (*e*). Itidem tutores, & curatores pro pupillis, & minoribus ſine mandato ad agendum admittuntur (*f*); & ejusdem litis conſors pro communi lite recte experitur (*g*). Poſtremo, humanitate ſuadente, fuit receptum, ut quilibet abſentem ſine mandato poſſet defendere (*h*). Ceterum pro-

(a) *l. Sed ſi* 13. *ff. de Pact.*
(b) *Cic. pro Cæcin, cap.* 20.
(c) *l.* 1. *pr. ff. de Procurat.*
(d) *l. Pomponius* 40. §. 2. *ff. eod.*
(e) *l. Sed & hæ perſonæ* 35. *pr. ff. eod.*
(f) *l. Tutoris* 30. *ff. de Adminiſtr. tutor.*
(g) *l.* 2. *C. de Conſort. ejusd. lit.*
(h) *l. Qui proprio* 46. §. 1. *ff. de Procurat.*

procurator in cauſis tantum civilibus etiam famoſis admittitur (*a*): in criminalibus vero ſive ab actore, ſive a reo fruſtra conſtituitur (*b*). Tantum illuſtribus perſonis in criminali injuriarum judicio per procuratorem agere licet (*c*).

Porro non omnes procuratorio nomine agere poſſunt. Et milites quidem procuratores eſſe vetantur, ne ab armis avocentur, & cinguli terrorem injiciant. Tantum veteranus, & miles in rem ſuam, vel omnis numeri ſui procurator admittitur (*d*). Itidem mulieres procuratorio nomine, niſi in rem ſuam, agere nequeunt (*e*): procuratoris enim officium civile eſt, ac virile. Præterea minores annis 25. procuratores fruſtra conſtituuntur, ne, iis reſtitutis, judicium eluſorium evadat (*f*). Quin muti, & ſurdi (*g*), quique perpetuo morbo laborant (*h*), necnon deportati, & ſervi ad officium procuratorum non admittuntur (*i*). Poſtremo potentiores procuratorio nomine experiri prohibentur, ne lis æquo Marte non decurrat (*k*).

Procurator autem ſemel conſtitutus poſt litem conteſtatam, niſi juſtis ex cauſis, mutari non poteſt. Id ita placuit, quia poſt conteſtationem litis dominium in procuratorem transfertur. Juſtæ porro cau-

(a) *l. Furti 6. §. 2. ff. de His, qui not. infam.*
(b) *l. Accuſatore pen. §. 1. ff. de Public. judic.*
[c] *l. ult. C. de Injur.*
(d) *l. Filiuſf. 8. §. 2. ff. de Procurat.*
(e) *l. Neque 54. ff. eod.*
(f) *l. Minor 51. pr. ff. eod.*
(g) *l. Mutus 43. pr. ff. eod.*
(h) *l. Neque feminæ 54. ff. eod.*
(i) *l. Servum 33. pr. ff. eod. l. 6. C. de Judic.*
(k) *l. 1. C. Ne lic. potent.*

cauſæ, ex quibus etiam poſt litem conteſtatam procurator mutari poteſt, memorantur a JCtis (*a*). Ita quidem recte mutabitur procurator, ſi adverſa valetudine conflictetur; ſi ſuſpectus evaſerit; ſi judicio publico, vel privato, vel majore re ſua diſtringatur; ſi latitet, vel inimicus poſtea fiat; ſi adfinitate adverſario jungatur, vel heres ei exiſtat; ſi denique longam peregrinationem ſuſceperit. Quæcumque autem mutandi procuratoris cauſa afferatur, id, niſi cauſa cognita, fieri nequit (*b*). Apud nos poſt cœptum judicium procuratorem mutare licebit, ubi cauſæ commiſſarius declaraverit, juſtam ſibi videri mutationis cauſam (*c*).

TITULUS XI.

De Satisdationibus.

CUm interſit litigantium, ne per procuratores judicia fiant eluſoria, poſt explicatam procuratorum operam, cautiones & ab illis, & a litigantibus præſtari ſolitas exponit Tribonianus. Olim quidem, quod ad judiciales cautiones, diſcrimen intercedebat inter actorem, ac reum, inter judicium reale, ac perſonale. Actor quidem ſi aliena opera non uteretur, ſeu in reali, ſeu in perſonali judicio nullam præſtabat cautionem. At reus ſi per ſe litem exciperet in judicio perſonali, cautionem præſtare non cogebatur: in judicio vero reali ſatisdationem præſtabat, *judicatum ſolvi* (*d*). Ni reus

(a) *l.* 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. *ff. de Procurat.*
(b) *l. Poſt litem* 17. *pr. ff. eod.*
(c) *Pragm.* 11. *de Dilation.*
(d) *pr.* & §. 1. *h. t.*

reus in judicio reali caveret, judicatum ſolvi, poſſeſſio rei controverſæ in adverſarium transferebatur (*a*). Hujus autem ſadisdationis, *judicatum ſolvi*, vis & poteſtas hæc erat, ut, ſi poſſeſſor, qui ſatisdedit, judicatum ſolvi, victus judicio reali nec rem ipſam reſtitueret, nec litis præſtaret æſtimationem, electio foret actoris, utrum in reum, an in fidejuſſorem agere vellet; ita tamen, ut fidejuſſor conventus non haberet exceptionem ordinis (*b*).

Quod ſi lis per procuratorem ageretur, rei quidem procurator, ſeu in reali, ſeu in perſonali judicio cautionem præſtare debebat, judicatum ſolvi. Contra procurator actoris ſine actionum diſcrimine præſtabat cautionem *de rato*, ſeu, rem ratam dominum habiturum. Cautio autem iſthæc præſtanda a procuratore erat, ubi dubitabatur, an negotium ei foret mandatum; periculum enim erat, ne dominus de eadem re iterum ageret. Quare hæc ſatisdatio dici conſuevit, *amplius non agi* (*c*). Ubi vero liqueret de mandato, cautio de rato non requirebatur (*d*).

Ex Principum porro conſtitutionibus de judicialibus cautionibus aliter ſtatutum fuit. Nimirum reus, ſi procuratoris opera non utatur, nullam cautionem præſtat, judicatum ſolvi; ſed tantum cavet, ſe ad finem uſque litis in judicio permanſurum. Iſthæc autem cautio pro reorum diverſitate interdum nuda promiſſione, interdum jurejurando, interdum per fidejuſſores præſtatur (*e*). Ubi vero procuratoris opera

(a) *l.* 1. C. *uti poſſid.*

(b) *pr. h. t.*

(c) *Cic. Epiſt. famil.* XIII. 28. *l. Amplius ff. Rem rat. haber.*

(d) *l.* 1. C. *de Procurat.*

(e) *l. Sancimus* 3. C. *de V. S. l.* 1. *Qui ſatisd. cog.*

ra reus utitur, procurator ſatisdare cogitur, judicatum ſolvi: nemo enim eſt idoneus defenſor litis alienæ ſine ſatisdatione (*a*).

Actorem quod ſpectat, is quidem jure novo ſatisdare debet, ſe intra duos menſes a tempore exhibiti libelli numerandos litem conteſtaturum, ſeque ad ſententiam uſque in judicio manſurum, atque expenſas, ſeu potius decimam quantitatis libello comprehenſæ ſoluturum, ſi ſuccumbat (*b*). At ſi aliena opera litem inſtituat, ejus procurator cavebit de rato, ubi incertum, vel vitioſum ejus mandatum erit: ubi de mandato liqueat, nullam cautionem præſtabit (*c*). Si vero mandato careat, nullo pacto admittitur, ne judicium reddatur eluſorium; niſi pro conjuncta perſona, vel pro litis conſorte agat (*d*).

Hujuſmodi cautiones fere ſemper fiunt, datis fidejuſſoribus (*e*). Quidam tamen præſtant juratoriam cautionem, uti viri Illuſtres, & Spectabiles (*f*). Quo enim minor eſt ſuſpicio, eos judicio ſtatum non iri; eo minus contumeliam ſubire debent, quæ ineſt ſatisdationi. Item pauperes probatæ exiſtimationis, de fuga non ſuſpecti, qui idoneos fidejuſſores reperire non poſſunt, de obſervatione judicii, & decima parte litis jurato cavent (*g*). Nec deſunt, qui nudæ pro-

(a) §. 1. *h. t.*

(b) *Nov.* 96. *c.* 1. *Nov.* 112. *c.* 2.

(c) *l.* 1. *C. de Procurat.*

(d) *l. Pomponius* 40. §. *ult. l. Sed & hæ* 35. *pr. ff. eod.*

(e) *l. Prætoriæ* 7. *ff. de Stipulat. Prætor.*

(f) *l. Quoties* 12. *pr. C. de Dignitat. l. In ſacris* 12. *C. de Proxim. ſacror. ſcrinior.*

(g) *Nov.* 112. *c.* 2.

promiſſioni ſuæ committuntur; cujuſmodi ſunt rerum immobilium in eadem provincia poſſeſſores (*a*). Fiſcum denique ſatisdare non ſolere, ait Ulpianus (*b*). Sed apud nos hujuſmodi cautiones raro præſtari ſolent: tantum de injuſtæ litis expenſis in judiciis ordinariis datis fidejuſſoribus cavetur.

TITULUS XII.

De Perpetuis, & temporalibus actionibus, & quæ ad heredes, & in heredes tranſeunt.

Perpetuæ actiones dicebantur olim, quæ nullo tempore finiebantur. Hujusmodi erant actiones civiles, i. e. lege, SCto, vel conſtitutionibus Principum inſtitutæ. Obligatio enim ſemel contracta perpetua erat, nec poterat tolli ipſo jure per lapſum temporis; ſed tantum per exceptionem pacti de non petendo, vel doli mali (*c*). Actiones autem *temporales* dicebantur, quæ brevi temporis ſpatio extinguebantur. Ita temporales plerumque erant actiones Prætoriæ, quæ ex annua Prætoris jurisdictione deſcendentes ultra annum non durabant. Non deerant tamen Prætoriæ actiones, quæ ultra annum dabantur, & perpetuæ erant, veluti poſſeſſoria, & fideicommiſſaria hereditatis petitio; quæ datur bonorum poſſeſſori, & fideicommiſſario univerſali, qui heredis loco ſunt (*d*). Itidem perpetua eſt actio Prætoria

(a) *l. Sciendum* 15. *pr. ff. Qui ſatisd. cogant.*
(b) *l.* 1. §. 18. *ff. Ut legator.*
(c) *l. Obligationum* 44. §. 1. *ff. de O. & A.*
(d) *pr. h. t.*

ria furti manifeſti, & actiones omnes, quæ reì perſecutionem continent (*a*).

Cum porro reipublicæ intereſſet, lites non eſſe immortales, omnibus actionibus certum tempus præſcriptum eſt: ac *perpetuæ* dictæ ſunt actiones, quæ ſpatio triginta, vel quadraginta annorum durarent. Sane primi omnium Theodoſius, atque Honorius intra 30. annorum ſpatium actiones civiles coërcuerunt (*b*). Tum Anaſtaſius quaſdam actiones, de quibus diſputabatur, utrum in ea lege continerentur, ſpatio 40. annorum finiri juſſit (*c*).

Jam vero licet omnes fere actiones rei perſecutoriæ ſint perpetuæ, pœnales autem ſint temporales; quædam tamen actiones rei perſecutoriæ, vel ſpeciali lege, vel ex jure Prætorio certo tempore finiuntur. Ita anni ſpatio perimitur actio Pauliana (*d*): biennio finitur actio doli (*e*): quadriennio extinguuntur omnes actiones, quibus petitur reſtitutio in integrum (*f*); & quinquennio querela inofficioſi perimitur (*g*). Accuſationes porro criminales fere vicennio tolluntur (*h*). Sed in delicto adulterii, ſtupri, & lenocinii (*k*); in crimine peculatus (*i*), & aperturæ teſtamenti contra SCtum Silanianum (*l*) quinquennio præſcribitur. Accuſatio vero ſuppoſiti partus

(a) *l. In honorariis 35. ff. de O. & A.*
(b) *l. Sicut 3. C. de Præſcript. 30. vel 40. annor.*
[c] *l. Omnes 4. C. eod.*
[d] *l. 1. pr. ff. Quæ in fraud. credit.*
(e) *l. ult. ff. de Dol. mal.*
(f) *l. ult. C. de Temporib. in integr. reſtitut.*
(g) *l. Papinianus 8. §. ult. ff. de Inoffic. teſtam.*
(h) *l. Quamcumque 3. ff. de Requirend. reis.*
(i) *l. Mariti 29. §. 5. ff. ad Leg. Jul. de adulter.*
(k) *l. Peculatus 7. ff. ad Leg. Jul. peculat.*
(l) *l. In cognitione 13. ff. ad SC. Silanian.*

partus nulla temporis præſcriptione depellitur, ut ait Paulus (*a*).

Porro actiones quædam dantur heredibus, & contra heredes; quædam heredibus dantur, ſed contra heredes non competunt; quædam denique neque heredibus accommodantur, neque competunt contra heredes. Actiones rei perſecutoriæ, ſive ex contractu, ſive ex delicto deſcendant, dantur heredibus, & contra heredes. Hoc autem adeo verum eſt, ut heredes teneantur ex dolo defuncti, non tantum in id, quod ad eos pervenit, verum etiam in ſolidum, h. e. unuſquiſque pro ea parte, qua heres eſt (*b*). Proinde tutoris heres in ſolidum tenetur ob tutelam doloſe geſtam (*c*).

Actiones pœnales ex maleficiis heredibus quidem competunt, ſed in heredes non dantur (*d*). Ita actio furti heredibus quidem datur, contra heredes vero non competit. Id ideo receptum, quia pœnæ ſuos auctores tenere debent. Ceterum ſi heres ex delicto defuncti locupletior factus ſit, & agatur rei perſecutoria, vel mixta, adverſus eum actio datur, ne quis ex alieno ſcelere lucrum faciat (*e*).

Poſtremo quædam actiones neque heredibus dantur, neque contra heredes competunt. Huiuſmodi eſt actio injuriarum, quæ non patrimonium, ſed vindictam perſequitur; quæque ante litem conteſtatam in bonis non numeratur (*f*). Ejuſdem generis ſunt actiones, quibus honor, & reverentia imminuta

(a) *Qui falſum* 19. §. 1. *ff. ad Leg. Cornel. de falſ.*
(b) *l. Ad ea* 157. §. *ult. ff. de R. J.*
(c) *l. Ex contractibus* 49. *ff. de O. & A.*
(d) *l. Pupillum* 111. §. 1. *ff. de R. J.*
(e) *l. Sicuti* 38. *ff. eod.*
(f) *l. Injuriarum* 28. *ff. de Injur.*

ta vindicatur, uti revocatoria donationis, actio in factum de in jus vocato ſine venia, querela inofficioſi, & ſi quæ ſunt aliæ id genus (*a*). Illud autem certum eſt, actiones, quæ neque heredibus, nec contra heredes competunt, poſt litis conteſtationem & heredibus, & adverſus heredes dari. Per litis enim conteſtationem quidam quaſi contractus inter actorem, & reum iniri cenſetur. Sed per Principum conſtitutiones ex ſimplici rei conventione actiones transmittuntur (*b*).

TITULUS XIII.

De Exceptionibus.

HActenus de actionibus diſputavimus, jam exceptiones videamus. Exceptio eſt actionis ſtricto jure competentis excluſio, ſeu, defenſio rei, quæ opponitur actori, actionis elidendæ cauſa (*c*). Per exceptionem igitur actoris intentio ſubmovetur; eaque modo eximit reum damnatione, modo minuit damnationem (*d*). Ideo autem iſthæc rei defenſio *exceptionis* nomen ſortita eſt, quia a reo oppoſita, per modum exceptionis addebatur a Prætore in formula, quam judici pedaneo præſcribebat: *Judex eſto: &, ſi paret, Mævium centum promiſiſſe Cajo, Mævium in centum condemna, niſi de metu liqueat*. Ex quo apparet, cur hujuſmodi exceptiones dicantur a JCtis *conditio-*

(a) *l. His ſolis 7. C. de Revoc. donat. l. In eum 24. ff. de In jus voc.*
(b) *l. Conſtitutionibus 33. ff. de O. & A.*
(c) *l. Exceptio 2. pr. ff. h. t.*
(d) *l. Exceptio 22. ff. eod.*

tiones, nimirum, quia per modum conditionis ſubjiciebantur a Prætore in formula (*a*). Illud autem certum eſt, ſi plures actiones ex una obligatione naſcantur, una tantum uti actorem poſſe (*b*). At nemo prohibetur pluribus exceptionibus uti, quamvis diverſæ ſint: rei enim cauſa favorabilior eſt, quam actoris (*c*).

Exceptiones aliæ ſunt civiles, aliæ Prætoriæ. Illæ ex jure civili, puta legibus, SCtis, conſtitutionibus Principum deſcendunt: hæ ex edicto Prætoris originem ducunt. Ita exceptio pacti de injuria, ex XII. tabulis; exceptio, *niſi bonis ceſſerit*, ex lege Julia promanat: exceptio Vellejani, Macedoniani ex SCtis introducta eſt; exceptio *ordinis*, & *diviſionis* a conſtitutionibus Principum originem arceſſit. Ex Prætoris jurisdictione, ut juris civilis rigor, ac ſubtilitas infringeretur, veniunt exceptiones doli, metus, & aliæ id genus.

Rurſus exceptiones vel ſunt *peremtoriæ*, vel *dilatoriæ*. Peremtoriæ, quæ & *perpetuæ* dicuntur, ſemper agentibus obſtant, & opponi poſſunt in quocumque articulo litis ante rem judicatam; objectæque litem omnino perimunt (*d*). Hujuſmodi ſunt exceptio, *quod metus cauſa*, *de dolo*, *juſti erroris*, *pacti de non petendo*, *jurisjurandi*, & *rei judicatæ*.

Exceptio, *quod metus cauſa*, opponitur ab eo, qui metum paſſus eſt, adverſus eum, qui ex contractu per metum inito agit, ſive ipſe metum intulerit, ſive alius; ut ejus actio reddatur inutilis. Sane jure civili coacta voluntas eſt voluntas (*e*). Proin-

(a) *d. l. 22. pr. ff. eod.*
(b) *l. Plura 53. pr. ff. de O. & A.*
(c) *l. Nemo 8. ff. h. t.*
(d) *l. Exceptiones 3. ff. h. t.*
(e) *l. Si mulier 21. §. pen. ff. Quod met. cauſ.*

Proinde qui metu ſtipulanti promittit, quod non debet, jure civili obligatur, & actio non inefficax eſt reſpectu conventionis. Sed Prætor ei, qui metu promiſit, dedit exceptionem metus cauſa, ſeu *de metu* (*a*).

Exceptionem doli opponit, qui dolum paſſus eſt, adverſus eum, qui dolum commiſit, ut actio inutilis reddatur. Hujuſmodi exceptio alia *generalis* eſt, alia *ſpecialis*. Generalis omni iniquæ petitioni recte objicitur, licet ab initio dolus non adfuerit (*b*). Proinde cum aliis etiam exceptionibus concurrere poteſt tamquam acceſſoria: qua quidem in ſpecie principalis exceptionis, cum qua concurrit, naturam ſequitur (*c*). Specialis exceptio doli ex eadem cauſa naſcitur, ex qua actio doli; ut ſi dolus ab initio intervenerit (*d*). Ea parentibus, aut patronis opponi non poteſt, quia ex cauſa famoſa oritur, & reverentiam lædit (*e*). In eo autem exceptio doli diſtat ab exceptione metus, quia illa perſonam complectitur ejus, qui dolo fecit; metus vero exceptio ſcripta eſt in rem, i. e. ſine ullius perſonæ mentione, uti videre eſt in hac formula: *ſi in ea re nihil metus cauſa factum eſt* (*f*).

Exceptio erroris, quæ dicitur *in factum compoſita*, quia nomine caret (*g*), datur ei, qui per errorem

---

(a) *l. Apud Celſum* 4. §. *ult. ff. de Dol. & met. except.*
(b) *l. Qui æquitate* 12. *ff. eod.*
(c) *l. Apud Celſum* 4. §. *pen. ff. eod. l. Si ex cautione* 3. C. *de N. N. P.*
(d) *l. Palam* 2. *pr. ff. de Dol. except.*
(e) *d. l.* 4. §. 16. *ff. eod.*
(f) *d. l.* 4. §. 33. *ff. eod.*
(g) §. 1. *h. t.*

rem promiſit, adverſus eum, qui, quod errore promiſſum eſt, petit, ut actio infirmetur. Stricto jure error nocet erranti; errans enim eſt in culpa. Sed Prætor erranti ſuccurrit, eique exceptionem in factum dedit. Quare ſi pecuniam, quam me tibi dere exiſtimabam, juſſu tuo ſpoponderim, cui donare volebas, exceptione doli mali potero me tueri: quin condictio mihi adverſus ſtipulantem competit, ut me liberet (*a*).

Porro ſi debitor cum creditore pactus ſit, ne a ſe petatur, ipſo jure obligatus manet, quia obligationes pacto non diſſolvuntur; ſed ſi conveniatur, tutus eſt exceptione pacti de non petendo (*b*). Hoc autem, quod diximus, obligationem pacto non tolli ipſo jure, locum habet, ubi obligatio civilis eſt, veluti per ſtipulationem contracta (*c*). Si enim ſolo conſenſu conſtet obligatio, pacto perimitur ipſo jure (*d*); quemadmodum & pacto tollitur obligatio ipſo jure, ubi pactum eſt legitimum, vel Prætorium, veluti ne furti, vel injuriarum agatur (*e*). Nihil autem intereſt, utrum expreſſum intercesſerit pactum, an tacitum (*f*); modo quis ipſe pro ſe pactus ſit, aut ſaltem pro eo, qui fictione juris cum paciſcente pro eadem perſona habetur (*g*). Ita filiusf. paciſcens, ne a patre petatur, patri adquirit exceptionem (*h*).

Ex-

(a) *l. Julianus* 7. *ff. eod.*
(b) §. 3. *h. t.*
(c) *l. Si unus* 27. §. 2. *ff. de Pact.*
(d) *l. Juris gentium* 7. §. 6. *ff. eod.*
(e) *l. Si tibi* 17. §. 1. *ff. eod.*
(f) *l. Labeo* 2. §. 1. *ff. eod.*
(g) *l. Reſcriptum* 10. §. *ult. ff. eod.*
(h) *l. Si tibi* 17. §. *ult. ff. eod.*

Exceptione jurisjurandi utitur ille, qui, deferente adverſario, juravit, ſe non debere, adverſus eum, qui poſt delatum, & acceptum jusjurandum nihilominus petit (a). Profecto jure civili per jusjurandum non tollitur obligatio, quia non aliæ ejus vires, quam pacti nudi; ſed Prætor ratus, jurisjurandi ſtandum eſſe religioni, jusjurandum illud ut pactum liberatorium tuetur (b). Iniquum enim Prætori viſum eſt, apud ſe de perjurio quæri; qui enim jusjurandum detulit, veluti transegit, & a lite diſceſſit (c).

Exceptione rei judicatæ ſe tuetur, qui ſententia judicis eſt abſolutus, adverſus eum, qui de eadem re, ex eadem cauſa agit (d). Res judicata eſt, quæ finem controverſiarum vel per condemnationem, vel per abſolutionem a judice pronunciatam accepit (e). Licet autem ſententia pro reo lata, ipſo jure civili non tollat jus actoris (f); quo tamen litium eſſet finis, ac propter quaſi-contractum litis conteſtatæ, Prætor reum abſolutum, ſi eadem res ab eodem adverſario ex eadem cauſa petatur, adjuvat exceptione rei judicatæ (g).

Jam vero dilatoriæ, ſeu temporales exceptiones ſunt, quæ actionem non perimunt, ſed differunt (h). Hujuſmodi exceptiones vel ipſam cauſam reſpiciunt, vel

(a) §. 4. *h. t.*
(b) *l. Quod ſi* 21. *ff. de Dol. mal.*
(c) *l. Adverſus* 15. *ff. h. t. l. Jusjurandum* 2. *ff. de Jurejur.*
(d) §. 5. *h. t.*
(e) *l.* 1. *ff. de Re judic.*
[f] *l. Julianus* 60. *ff. de Condict. indeb.*
(g) *l. Cum quæritur* 12. *l. Quantitas* 13. *ff. de Except. rei judic.*
(h) §. 10. *h. t.*

vel perſonas judicium conſtituentes. Ipſam cauſam reſpicit exceptio pacti *de non petendo intra certum tempus* (*a*); & exceptio *moratoria* competens ei, qui inducias, plerumque quinquennales, a Principe accepit, ne interim a creditoribus divexari poſſit (*b*). Hæc autem exceptio non aliter valet, niſi fidejuſſio idonea de debiti ſolutione præbeatur (*c*). Huc referri poteſt exceptio, quæ reſpicit modum, & ordinem judicii, veluti ſi petitorium ante poſſeſſorium, aut civile ante criminale judicium inſtituatur. *Perſonæ* vero judicium *conſtituentes* vel principales ſunt, uti Judex, Actor, reus; vel acceſſoriæ, uti procuratores, aliique. Propter judicem competere poteſt exceptio fori incompetentis, qua aſſeritur, actionem inſtitutam ad cognitionem ejus judicis non pertinere. De foro competenti illud receptum eſt, quod *Actor ſequitur forum rei*, ſive in rem actio ſit, ſive in perſonam (*d*). Item ob judicis perſonam competere poteſt exceptio *ſuſpecti judicis* (*e*). In hac autem ſpecie juſtæ debent eſſe recuſationis cauſæ. Ipſæ ad quinque claſſes revocari poſſunt; ad odium, ſordes, timorem, amorem, & ignorantiam (*f*). Actori porro, & reo præcipue objici poteſt, ipſos non habere legitimam perſonam ſtandi in judicio (*g*). Ita pupilli ſine tutore, minores ſine curatore in judicio conſiſtere non poſſunt, & dilatoriæ exceptioni ſubjiciuntur. Poſtremo ex acceſſoriis perſonis competit ex-

(a) *l. Exceptionos 3. ff. h. t.*
(b) *l. Quoties 2. C. de Precib. Imp. offer.*
[c] *l. Univerſa 4. C. eod.*
(d) *l. ult. C. Ubi in rem act.*
(e) *l. Apertiſſimi 16. C. de Judic.*
(f) *Schulting. de Recuſat. judic.*
(g) *l. In rebus 2. C. Qui legitim. perſon.*

exceptio procuratoria, qua vel negatur procurator eſſe idoneus, veluti ſi miles ſit, aut femina; vel negatur, eum habere a domino litis mandatum (*a*); vel denique in ea cauſa procuratorem intervenire non poſſe, contenditur (*b*).

Inter peremtorias, & dilatorias exceptiones illud potiſſimum diſcrimen intercedit, quod dilatoriæ exceptiones ante litem conteſtatam opponi debent (1); peremtoriæ vero quandocumque recte opponuntur ante ſententiam. Excipiuntur tamen exceptiones Vellejani, & Macedoniani, quæ poſt ſententiam opponi poſſunt; quod receptum odio fœneratorum, & favore ſexus muliebris (*c*). Quin & poſt ſententiam recte opponuntur exceptiones ſolutionis, & compenſationis, quæ non impugnant judicatum: omnia enim judicia tacitam in ſe continent conditionem, *niſi ſolutum ſit* (*d*).

TITULUS XIV.

De Replicationibus.

Replicatio eſt actoris reſponſio, per quam exceptionem ſolvit, & defendit actionem (*e*). Ea *exceptio-*

(a) §. *ult. h. t.*
(b) *l. In exceptionibus* 19. §. 2. *ff. de Probat.*
(c) *l. Tamen* 11. *ff. de SC. Macedon.*
(d) §. *ult. Inſt. de Perpet. & temporal. action.*
(e) *pr. h. t.*
(1) Quod ſi poſt litem conteſtatam dilatoria exceptio deprehendatur; veluti, ſi falſus inveniatur procurator, nec judicium conſiſtere, nec dici controverſias ſolere, reſcripſerunt Imperatores. *l. Licet* 24. *C. de Procurat.*

ceptionis exceptio a Paulo vocatur (*a*). Ita v. c. mulier actioni ex ſtipulatu opponit exceptionem SCti Vellejani: actor replicat, *SCto renunciatum eſſe*. Ubi vero replicatio iniqua ſit, datur reo *duplicatio*; & rurſus contra duplicationem datur actori *triplicatio*, reo *quadruplicatio*. Hodie vero in Europa paſſim ultra duplicationem raro proceditur. Ubi tamen actori datur triplicatio, reo quadruplicationem concedi oportet, ne reus non auditus damnari videatur.

Replicationibus expoſitis, iterum ad exceptiones redit Tribonianus. Eas dividit in reales, & perſonales. Exceptiones reales ſunt, quæ cauſæ cohærent; veluti ſi dictum fuerit, *non petam*. Hujuſmodi exceptiones fidejuſſoribus, & heredibus proſunt, quia pactum intelligitur in rem conceptum (*b*). Reales exceptiones cenſentur exceptio rei judicatæ, doli mali, SCti Macedoniani, Vellejani (*c*). Perſonales vero exceptiones ſunt, quæ ſoli reo cohærent, nec ejus perſonam egrediuntur, veluti, ſi dixerim, *a te non petam*. Hujuſmodi exceptiones ſoli debitori proſunt (*d*). Exceptiones perſonales cenſentur exceptio beneficii competentiæ, exceptio pacti de non petendo a certa perſona, exceptio ceſſionis bonorum. Exceptiones iſtæ fidejuſſori non dantur; is enim eo animo acceptus eſt, ut, cum debitor facultatibus lapſus fuerit, ipſe conveniatur.

TI-

(a) *l. Exceptio* 22. §. 1. *ff. de Except.*
(b) *l. Tale pactum* 40. *pr. ff. de Pact.*
[c] §. *ult. h. t.*
(d) *l. Juris gentium* 7. §. 8. *l. Si tibi* 17. §. 3. *ff. de Pact.*

TITULUS XV.

De Interdictis.

LIcet Interdicta *actionum* appellatione contineantur (*a*), & in edicto Prætoris proponerentur, atque exemplo actionum ederentur ante judicium (*b*); inter actiones tamen, & interdicta plures differentiæ numerantur. Primo enim actiones aliæ ſunt civiles, aliæ Prætoriæ; interdicta omnia ſunt Prætoria. Præterea actionum quædam in rem ſunt, quædam in perſonam; interdicta omnia licet in rem videantur concepta, vi tamen ipſa perſonalia ſunt (*c*) (1). Quin actiones ſunt formulæ, de quibus non ipſe Prætor judicat, ſed judicem dat; interdicta vero ſunt formulæ, quibus Prætor ipſe aut vetat, aut jubet, aliquid fieri. Adhæc actiones ſunt de proprietate, aut poſſeſſione, aut obligationibus dandi, vel faciendi: interdicta omnia ſunt judicia poſſeſſoria.

Antiquitus interdicta reddebantur a Prætore, quemadmodum actiones, certis & ſollemnibus verbis. Sed ſicut formulæ actionum ſublatæ fuerunt a Conſtantino (*d*); ita, ruptis veteribus ambagibus, interdictorum ſollemnis ordo, & ritus deſuetudine exolevit, & in eorum locum ſubrogatæ ſunt extraordinariæ actio-

---

(a) *l. Actiones 37. ff. de O. & A.*
(b) *l. 1. C. h. t.*
(c) *l. 1. §. 3. ff. eod.*
(d) *l. 1. C. de Formul. ſublat.*
(1) Hinc Præſes provinciæ non poteſt ex interdicto cognoſcere in eum, qui ejusdem provinciæ non eſt *l. Præſes 2. C. h. t.* Actor enim ſequitur forum rei.

actiones ad exemplum interdictorum (*a*). Hinc titulus Pandectarum*: de interdictis, ſive extraordinariis actionibus, quæ pro his competunt*.

Jam vero jure novo interdicta definiri poſſunt *extraordinariæ actiones*, *in quibus ſummaria fit cognitio maxime de poſſeſſione, vel quaſi-poſſeſſione*. *Poſſeſſio* eſt rei detentio animo ſibi eam habendi. Vera poſſeſſio eſt rerum corporalium*: quaſi poſſeſſio* rerum incorporalium, quarum uſus pro poſſeſſione habetur. *Poſſidere* proprie dicitur ille, qui ſuo nomine rem detinet animo ſibi eam habendi, ſive cum titulo, unde *juſta poſſeſſio*; ſive ſine titulo, unde oritur *injuſta poſſeſſio* (*b*). *Eſſe in poſſeſſione* vero ille dicitur, qui alieno nomine poſſidet, uti colonus, inquilinus, commodatarius (*c*). *Adquirimus* porro poſſeſſionem animo, & corpore ſimul (*d*); atque vel per nos ipſos, vel per alios. *Retinemus autem* poſſeſſionem vel animo, & corpore ſimul; vel ſolo animo (*e*). Quamdiu enim nobis voluntas & facultas eſt rem retinendi, poſſeſſionem retinemus, licet fundus abſentis ſit occupatus (*f*): poſſeſſio enim ſemel adquiſita plurimum ex jure mutuatur (*g*). Nihil autem intereſt, utrum per nos ipſos poſſeſſionem retineamus, an per eos, qui noſtro nomine ſunt in poſſeſſione (*h*). Denique *amittimus* poſſeſſio-

---

(a) *l. Incerti* 3. *l. ult.* C. *eod.*
(b) *l. Quæcumque* 13. §. 1. *ff. de Public.in rem act.* *l. Nemo* 10. C. *de Adquir. poſſeſſ.*
(c) *l. Si quis* 10. §. 1. *ff. eod.*
(d) *l. Poſſideri* 3. §. 1. *ff. eod.*
(e) *d. l.* 3. §. 7. *ff. eod.*
(f) *l. Clam poſſidere 6.* §. 1. *ff. eod.*
(g) *l. Poſſeſſio* 49. *pr. ff. eod.*
(h) *l. Generaliter* 9. *ff. eod.*

Digitized by Google

ſionem vel ſolo corpore, vel animo, & corpore ſimul, vel etiam ſolo animo. Ita plerumque poſſeſſio rerum immobilium amittitur, poſſeſſore vi dejecto: mobilium vero, ſi alius ea teneat animo ſibi habendi (*a*). Et ſi quis eo animo poſſeſſionem tradidit, ut poſtea ei reſtituatur, deſinit poſſidere (*b*). Inter commoda autem poſſeſſionis duo potiſſimum præcipua habentur: primum eſt, quod, actore non probante, reus, etſi nihil ipſe præſtet, obtinebit (*c*): alterum, quod in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis (*d*). Hinc in proverbium ex Gloſſa abiit: *Beati poſſidentes*.

Interdictorum ſumma diviſio eſt, ut vel *prohibitoria* ſint, vel *reſtitutoria*, vel *exhibitoria* (*e*). Prohibitoria ſunt, quibus Prætor vetat, aliquid fieri. Hujuſmodi eſt interdictum, *uti poſſidetis*, quod datur ei, qui nec vi, nec clam, nec precario poſſidet ab eo, quocum agit, retinendæ poſſeſſionis cauſa (*f*). Prohibitorium quoque eſt interdictum de mortuo inferendo, quo Prætor vetat, vim fieri ei, qui mortuum infert in locum, in quem inferendi jus habet (*g*). Itidem prohibitorium interdictum eſt, *ne quid in loco ſacro fiat*, quo deformior, aut deterior locus evadat (*h*); quemadmodum & interdictum, ne quid in flumine publico, aut ripa extruatur, quo ſtatio, iterve navigio deterior ſit (*i*). Formula inter-

(a) *l. Quemadmodum* 8. *ff. eod.*
(b) *l. Si quis* 17. §. 1. *ff. eod.*
(c) *l. Qui accuſare* 4. C. *de Edend.*
(d) *l. Sive* 9. §. 4. *ff. de Public. in rem act.*
(e) §. 1. *h. t.*
(f) *l.* 1. *pr. ff. Uti poſſidet.*
(g) *l.* 1. *ff. de Mort. inferend.*
(h) *l.* 1. §. 2. *ff. Ne quid in loc. ſacr. fiat.*
(i) *l.* 1. *pr. ff. de Fluminib.*

terdicti prohibitorii erat: *vim fieri veto*; aut ſimpliciter, *veto*.

Reſtitutoria interdicta ſunt, quibus quid Prætor reſtitui jubet. Hujuſmodi eſt interdictum *quorum bonorum*, & interdictum *unde vi* (*a*). Si is, qui jus poſſidendi bona impetravit, interdicto, *quorum bonorum* contendit, verbum *reſtituendi* etiam ad res noviter adquiſitas pertinet (*b*). Hæc interdicta dabantur per formulam: *Quod vi, aut clam factum, reſtituas*; vel: *unde tu vi dejeciſti, eo reſtituas*.

Denique exhibitoria interdicta ſunt, quibus Prætor jubet, quid exhiberi (*c*). Ita ſi contenditur, ut liber homo, qui quaſi ſervus detinetur, exhibeatur, redditur interdictum de libero homine exhibendo. Itidem hoc interdictum redditur patrono, qui libertum detinet; & parenti quoque datur, ubi liberi plagio detineantur. Formula hujus interdicti ita concipitur: *quem liberum dolo malo retines, exhibeas* (*d*).

Rurſus interdicta alia ſunt *adipiſcendæ*, alia *retinendæ*, alia *recuperandæ poſſeſſionis*. Hæc autem interdicta *ad rem familiarem* pertinere dicuntur (*e*). Adipiſcendæ poſſeſſionis cauſa comparatum eſt interdictum, *quorum bonorum*, & interdictum *Salvianum*. Interdictum *quorum bonorum* datur bonorum poſſeſſori adverſus eum, qui pro herede, vel pro poſſeſſore poſſidet (*f*). Pro herede poſſidet, qui putat, ſe heredem eſſe, puta ex teſtamento, quod valere

(a) §. 1. *h. t.*
(b) *l. Poſt perfectam* 16. *C. de Action. emt.*
(c) *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.*
(d) *l.* 1. *pr. ff. de Liber. exhib.*
(e) *l. Interdictorum* 2. §. 3. *ff. h. t.*
(f) *l.* 1. *ff. Quor. bonor.*

lere cenſet, cum revera non valeat; aut tamquam agnatus proximus, cum ab alio antevertatur. *Pro poſſeſſore* autem poſſidet, qui ſciens nullo jure rem poſſidet, nimirum qui interrogatus, cur poſſideat, nullam poteſt allegare aliam cauſam poſſidendi, quam quia poſſidet (*a*). Illud autem inter hoc interdictum, & petitionem hereditatis intereſt, quod petitione hereditatis tenentur etiam hereditatis debitores tamquam juris poſſeſſores (*b*): interdicto autem *quorum bonorum* ſubjiciuntur tantum corporum poſſeſſores, i. e. qui res corporales, ſeu corpora hereditatis, non qui jura poſſident (*c*). Interdictum enim *quorum bonorum* perſequitur tantum corporalem poſſeſſionem rerum; petitio autem hereditatis perſequitur jus univerſum defuncti. Præterea petitio hereditatis eſt remedium petitorium; interdictum vero, *quorum bonorum*, remedium eſt poſſeſſorium.

Adipiſcendæ etiam poſſeſſionis cauſa comparatum eſt interdictum Salvianum, fortaſſe a Salvio Juliano compoſitum. Hoc interdictum datur domino fundi ad adipiſcendam poſſeſſionem rerum coloni pro mercede conductionis obligatarum (*d*). Utile autem interdictum redditur cuique creditori pignoratitio, adverſus debitorem (*e*). In eo autem hoc interdictum ab hypothecaria actione differt, quod hæc eſt remedium ordinarium adverſus quoſcumque poſſeſſores; illud vero remedium ſummarium eſt contra colonum (1): in illa probandum, rem oppi-

(a) *l. Pro herede* 11. *pr.* & §. 1. *l. Qui interrogatus* 12. *ff. de Heredit. petit.*

(b) *l. Nec ullam* 13. §. *ult. ff. eod.*

(c) *l. Interdicto* 2. *ff. Quor. bonor.*

(d) *l.* 1. *pr. ff. de Salvian. interd.*

(e) *l.* 1. *C. eod.*

(1) Verum tractu temporis interdictum Salvianum di-

oppignoratam tempore oppignorationis in bonis debitoris fuiſſe; in interdicto ſufficit probaſſe, rem a debitore eſſe poſſeſſam, oppignoratam, & in fundum illatam. Id inde factum, quia interdicta vi ipſa perſonalia ſunt; actio vero Serviana rem perſequitur adverſus quemcumque poſſeſſorem.

Retinendæ poſſeſſionis cauſa dantur prohibitoria interdicta, *uti poſſidetis*, & *utrubi*. Interdictum *uti poſſidetis* in eo differt ab interdicto *utrubi*, quod hoc competit nomine rerum mobilium; illud redditur de rebus immobilibus (*a*). Hiſce autem interdictis locus eſt, cum de proprietate rei inter duos lis eſt, & primum quæritur, uter poſſideat, ut intelligatur, qui actor ſit, quive reus (*b*). Duo enim rem eamdem extra communionem in ſolidum non poſſunt poſſidere (*c*). Actio autem in rem poſſeſſori non datur; quippe ſufficit ei, quod poſſideat (*d*). Illud autem explorati juris eſt, tam in interdicto *uti poſſidetis*, quam in interdicto *utrubi* illum in judicio vincere, qui nec vi, nec clam, nec precario ab adverſario poſſidet litis conteſtatæ tempore (1) (*e*). Ceterum interdictum *uti poſſidetis* intra annum

---

directum, nedum *utile* adverſus tertios poſſeſſores extendi cœpit *l. 1. pr. ff. de Salvian. interd.*

[a] §. 4. *h. t.*

(b) *l. Inter 62. ff. de Judic.*

(c) *l. Poſſideri 3. §. 5. ff. de Adquir. poſſeſſ.*

(d) *l. 1. §. 6. ff. Uti poſſidet.*

(e) *l. Un. §. 1. §. Utrubi.*

(1) Olim interdictum *uti poſſidetis* in eo diſcrepabat ab interdicto *utrubi*, quod interdicto *uti poſſidetis* vincebat, qui tempore interdicti redditi, ſeu litis conteſtatæ, nec vi, nec clam, nec precario ab adverſario poſſidebat: *Utrubi* vero interdicto is vincebat, qui majore parte

num datur, poſt annum proponi non poteſt (*a*). Cum vero interdictum uti poſſidetis detur unis poſſeſſoribus; nudi detentores illud fruſtra poſtulant. Ita creditoribus miſſis in poſſeſſionem bonorum, crediti ſervandi cauſa, hoc interdictum non redditur (*b*). Inter fructuarios vero; & ubi alter uſum, alter fructum ſibi tueatur, hoc interdictum reddi oportere, ex ſententia Pomponii reſpondit Ulpianus (*c*).

Recuperandæ poſſeſſionis cauſa proditum eſt interdictum *unde vi*, ab initialibus edicti verbis ita nuncupatum. Hoc interdictum pertinet ad recuperandam poſſeſſionem fundi, vel ædium, unde quis per vim atrocem fuit dejectus. De rebus autem mobilibus comparata eſt actio furti, vel vi bonorum raptorum (*d*). Hoc interdicto petit dejectus, ut reſtituatur poſſeſſio cum eo, quod intereſt, & omni cauſa. Proinde & fructus a tempore dejectionis, & res mobiles ſeu ſuas, ſeu alienas, puta depoſitas, commodatas, oppignoratas, repetit, quæ tempore dejectionis in fundo erant (*e*). Quin, ſi quid in dejectione raptum, aut deperditum fuerit, id etiam in judicium venit. Hac autem in ſpecie, æſtimatione a judice facta, rerum pretium dejectus ſacramento probabit: ei vero ultra æſtimationem a judice peractam jurare non licebit (*f*). Ceterum interdictum *unde vi* ex jure civili datur adverſus eum tantum, qui vi

---

parte ejus anni nec vi, nec clam, nec precario poſſidebat ab adverſario §. 4. *h. t.*

(a) *l.* 1. *pr. ff. Uti poſſid.*

(b) *l. Si duo.* 3. §. 8. *ff. eod.*

[c] *l. ult. ff. eod.*

(d) *l.* 1. §. 3. & 6. *ff. de Vi*, & *vi armat.*

(e) *d. l.* 1. §. 6. & 40. *ff. eod.*

(f) *l. Si quando* 9. *C. Unde vi.*

vi dejecit, non adverſus tertium poſſeſſorem (*a*). At jure Pontificio hoc interdictum ſequitur quemcumque poſſeſſorem (*b*): vitia enim poſſeſſionum a majoribus contracta perdurant: & ſucceſſorem auctoris ſui culpa comitatur (*c*).

Non ſolum autem poſſeſſor ipſe hoc interdicto experietur, ſi ipſe fuerit dejectus; ſed eodem uti poterit, ſi alii dejecti fuerint, per quos ipſe poſſidet. Ita ſi colonus, inquilinus, procurator, ſervus fuerint dejecti, recte hoc interdicto agetur (*d*). Poſſeſſio ſiquidem eſt facti, & per quemlibet, qui miniſterium corporis nobis exhibet, poteſt retineri (*e*). Cum vero hoc interdictum in prædictis caſibus non colono, aut inquilino daretur, ſed ipſi domino, apud quem civilis eſt poſſeſſio, & exinde invaſores impune aliena occuparent prædia; hinc edixit Conſtantinus, ut cuilibet liceret nomine abſentium poſſeſſorum hoc interdictum ſine mandato poſtulare (*f*).

Interdictum unde vi intra annum datur in ſolidum; poſt annum datur de eo tantum, quod ad illum pervenit, qui vi dejecit (*g*). Porro præter interdictum unde vi, quod eſt civile judicium, vi dejecto datur quoque actio criminalis legis Juliæ de vi privata, vel publica, ubi vel ſine armis vis facta eſt, vel cum armis (*h*). Quin & finito interdicto,

(a) *l. Cum a te 7. ff. de vi, & vi armat.*
(b) *Cap. Sæpe contingit 15. de Reſtitut. ſpoliat. ex.*
(c) *l. Vitia 11. C. de Adquir. poſſeſſ.*
(d) *l. 1. §. 22. ff. de Vi, & vi armat.*
(e) *l. Poſſideri 3. §. 12. ff. de Adquir. poſſeſſ.*
(f) *l. 1. C. Si per vim, aut al. mod.*
(g) *l. 1. pr. l. Quod eſt 3. §. 12. ff. de vi, & vi armat.*
(h) *l. Si quis 7. C. ad L. Jul. de vi public.*

cto, datur actio in rem adverſus poſſidentem (*a*). Tertia interdictorum diviſio eſt, ut alia ſimplicia ſint, alia duplicia. Simplicia dicuntur, in quibus ex litigantibus alter eſt actor, alter reus. Hujuſmodi ſunt interdicta reſtitutoria, aut exhibitoria. In his enim actor eſt, qui petit, reſtitui, aut exhiberi; reus eſt, unde petitur. Duplicia interdicta ſunt, in quibus uterque actor eſt, & reus. Prohibitoria interdicta quædam *ſimplicia* ſunt, quædam *duplicia.* Simplicia ſunt interdictum, ne quid fiat in loco ſacro; & interdictum, ne quid in flumine publico fiat. Duplicia vero ſunt interdicta, *Uti poſſidetis*, & *Utrubi*. In his enim uterque ſe poſſeſſorem affirmat, ſed queritur, ſe in poſſeſſione turbatum. Proinde formula horum interdictorum concipiebatur, quaſi uterque poſſideret: *Uti poſſidetis, quominus ita poſſideatis, vim fieri veto* (*b*). *Utrubi hic homo majore parte hujuſce anni fuit, quominus is eum ducat, vim fieri veto* (*c*).

TITULUS XVI.

De Pœna temere litigantium.

NE facile homines ad litigandum procederent, (1), placuit veteribus, temeritatem, & inſaniam litigan-

---

(a) *l.* 1. *C. Si per vim, aut al. mod.*
[b] *l.* 1. *pr. ff. Uti poſſid.*
(c) *l. unic. ff. Utrubi.*

(1) Ad officium Prætoris pertinere voluerunt veteres lites diminuere *l. Quidam* 21. *ff. de Reb. cred.* Proinde ſi lis inter conjunctas perſonas ageretur, judex per modum interlocutionis ſuadere ſolebat, ut de lite paciſce-

tigantium coërcere. Tres autem modi proditi olim fuerunt, per quos vitilitigatores, queis ratio litigandi non fuit, ut ait Papinianus (*a*), cohiberentur, ſcilicet *jusjurandum calumniæ*, *pœna pecuniaria*, *&* *infamia* (*b*).

Jusjurandum calumniæ præſtatur ab actore, reo, & eorum advocatis, quo jurant ſe litem non ſuſcipere calumniandi cauſa, ſed putantes, ſe bonam cauſam habere (*c*). Hoc juramentum vel *generale* eſt, quod in exordio litis cujuſcumque civilis de tota cauſa ab utraque parte juratur (*d*); vel *ſpeciale* eſt, quod juramentum *malitiæ* dicitur, quodque in omni litis articulo præſtari poteſt, ubi nimirum calumnia timetur, & ubi judici illud expedire videbitur (*e*). Sed ob perjuriorum frequentiam hodie neque *calumniæ*, neque *malitiæ* juramentum jurari ſolet; ut proinde locus amplius non ſit conſtitutioni Juſtiniani (*f*), qua vetuit, ne judices paterentur, juramentum illud remitti. Ceterum hoc juramentum parentibus, ac patronis remittitur ob reve-

ſcerentur *l. Ex ſtipulatione* 7. C. *de Sent. & Interloc.* Adeo vero a litibus abhorrebant veteres, ut Cato *forum muricibus ſternendum cenſuerit*, apud Plin. *l.* 19. *c.*6. qui etiam temerarios litigantes *vitilitigatores* appellabat apud eumdem, *in Præf.* Et Cicero virum bonum, *æquum*, *& facilem deſcribit*, *multa multis de jure ſuo cedentem*, *a litibus vero*, *quantum liceat*, *& plus etiam. quam liceat*, *abhorrentem*. *Offic.* II. 18.

[a] *l. Qui ſolidum* 78. §. 2. *ff. de Legat.* 2.

(b) *pr. h. t.*

(c) *l.* 1. *pr. l.* 2. *pr.* C. *de Jurejur. propt. calumn.*

(d) *Nov.* 49 C. *ult.*

(e) *l. Jusjurandum* 34. §. 4. *l. Si non* 37. *ff. de Jurejur.*

(f) *l. Cum judices* 2. C. *de Jurejur. propt. calumn.*

reverentiam ipſis debitam, quacum pugnat calumniæ ſuſpicio (*a*) (1).

Altera pœna, qua temerarius litigator coërcetur, pecuniaria eſt. Sane eum, quem temere adverſarium ſuum in judicium vocaſſe conſtitit, viatica, litiſque ſumtus ipſi reddere oportere, reſpondit Ulpianus (*b*). In hac autem ſpecie niſi judex victum in expenſarum cauſa victori condemnaverit, ipſe victori expenſas refundet (*c*). Temerarius vero litigator cenſeri non debet, qui vel ob rem obſcuram, vel ob juris incertitudinem, probabilem litigandi cauſam habuit; ut propterea varietas cauſæ neutrum ſumtuum nomine condemnari patiatur (*d*).

Tertia pœna adverſus temerarios litigantes indicta, eſt infamia (*e*), *læſio* ſcilicet *exiſtimationis, qua quis honeſtorum virorum numero excluditur*. Exiſtimatio autem eſt *dignitatis illæſæ ſtatus legibus, ac moribus comprobatus*, ait Calliſtratus (*f*). Infamia alia *juris* eſt, alia *facti*. Infamia juris legibus irrogatur. Ea notantur improbi fœneratores (*g*), expilatores hereditatium (*h*), mulieres intra annum luctus nubentes (*i*), aliique. Infamia facti irrogatur, ubi

(a) *d. l.* 34. §. 4. *ff. de Jurejur.*
(b) *l. Eum, quem* 79. *pr. ff. de Judic.*
(c) *l. Properandum* 13. *C. de Judic.*
(d) *Nov.* 82. *c.* 10.
(e) §. 2. *h. t.*
(f) *l. Cognitionum* 5. §. 1. *ff. de Extraord. cognit.*
(g) *l. Improbum* 20. *C. Ex quib. cauſ. infam.*
(h) *l. Si te* 12. *C. eod.*
(i) *l. Decreto* 15. *C. eod.*
(1) In *l.* 34. §. 4., vulgo legitur *neque patrono, neque parentibus.* Si ita legas, vix conciliabis hunc Ulpiani locum eum eodem Ulpiano in *l. Si patronus* 16. *ff. eod.* Rectius fortaſſe Haloander: *æque patrono, atque parentibus.*

ubi alicujus opinio apud bonos, & honeſtos viros oneratur, veluti ſi pater filium ob facinus indignum vehementer increpuit in teſtamento (*a*). Infamia autem notantur, qui ex publicis, vel privatis criminibus, excepta lege Aquilia, damnantur; quique, dato pretio, de famoſis judiciis tranſegerunt: qui enim paciſcitur, ut ait Paulus (*b*), crimen confiteri videtur. Itidem famoſæ actiones ex contractu, vel quaſi-contractu ſunt, mandati, depoſiti, pro ſocio, tutelæ; modo non contrariis, ſed directis judiciis condemnatio fiat propter dolum (*c*): in contrariis enim judiciis non de perfidia agitur, ſed de calculo, qui fere eodem judicio dirimi ſolet (*d*). Quo autem quis infamis e judicio diſcedat, requiritur, ut condemnetur per judicem proprio ex facto, & proprio nomine; utque ſententia in rem judicatam tranſierit (*e*).

Omnium actionum inſtituendarum principium eſt in jus vocatio, qua omiſſa lis nulla inſtitui poteſt, & ſine qua ſententia lata nulla eſt (*f*). Id ex eo factum, ne inde injuriarum naſcatur occaſio, unde jura naſcuntur (*g*). Hujuſmodi in jus vocatio olim fiebat nudo verbo ad Prætoris tribunal privato actoris arbitrio; hodie tamen conventio fit per libellum non ſine præcepto judicis, & per idoneam perſonam, puta apparitorem (*h*), in faciem, vel ad domum (*a*). Reo

---

(a) *l. Ea quæ* 13. *C. eod.*
(b) *l. Quoniam* 5. *ff. de His, qui not. infam.*
(c) §. 2. *h. t.*
(d) *l. Ei* 5. *pr. ff. Depoſ.*
(e) *l. Furti* 6. §. 1. & 2. *ff. de His, qui not. infam.*
(f) *l. Ea, quæ* 7. *C. Quomod. & quand.*
(g) *l. Meminerint* 6. *C. Unde vi.*
(h) *l. ult. C. de Exhib. reis.*

(*a*).Reo in jus vocato actor edebat actionem; eiq. per libellum ſignificabat, qua actione, qua ex cauſa acturus eſſet (*b*). Tum ſequebatur litis conteſtatio, quæ fiebat per petitionem actoris in jure propoſitam, & contradictionem rei (*c*). Litis autem conteſtatio eſt judicii exordium, nec poteſt dici judicium, niſi lis fuerit conteſtata; eaque de cauſa ante litis conteſtationem teſtes non audiuntur, & ſententia definitiva non profertur (*d*).

TITULUS XVII.

De Officio Judicis.

Agit heic Tribonianus de officio judicis dati a Prætore, quod officium pendebat ex formula, cui addictus erat (*e*). Sed ex quo Diocletiano placuit, ut Præſides, in quibus cauſis ipſi antea judices dabant, notionis ſuæ examen adhiberent (*f*), ſublatiſque a Conſtantino ſollemnibus actionum formulis (*g*) omnia judicia evaſerunt extraordinaria, vocabulum *judicis*, & *magiſtratus* confundi cœpit, ac Prætores ipſi *judices* audierunt. Judex itaque jure novo eſt quilibet magiſtratus jurisdictioni præpoſitus, cujus officium eſt obligatio, qua ad recte judicandum adſtringitur. Hoc autem judicis officium duplex eſt, *nobi-*

(a) *l. Scire* 12. §. 1. *ff. de Excuſat. tutor.*
(b) *l. Edita* 3. *C. de Edend.*
(c) *l. Cum judices* 2. *C. de Jurejur. propt. calumn.*
(d) *l. Amplius* 15. *ff. Rem rat. haber.*
(e) *l. Actio* 47. §. 1. *ff. de Negot. geſt.*
(f) *l. Placet* 2. *C. de Pedan. judicib.*
(g) *l.* 1. *C. de Form. ſublat.*

nobile, & *mercenarium*. Nobili officio judex, nemine denunciante, in facinoroſos plerumque inquirit (*a*). Mercenarium actioni inſervit, & ad partium petitionem impertiri ſolet (*b*).

Judex porro & cognoſcere cauſam debet, & ferre ſententiam, eamque executioni mandare. In cognoſcenda cauſa judex facilem ſe præbere debet, audire utramque partem (1), nec affectibus indulgere, & in omnibus boni, & innocentis viri officio fungi (*c*). Quin neque excandeſcere adverſus eos, quos malos putat, neque precibus calamitoſorum illacrymari judicem oportet: id enim non eſt conſtantis, & recti viri, cujus animi motum vultus detegit (*d*).

In ferenda autem ſententia judex meminiſſe debet, ſe ſecundum leges, conſtitutiones, aut mores receptos judicare oportere (*e*). Quod ſi contra legem ſententiam pronunciaverit, ea ipſo jure nulla eſt, nec rei judicatæ auctoritatem obtinebit; ut ab ea appellare non ſit neceſſe (*f*). Id vero ita ſe habet, ſi contra jus in *theſi* fuerit pronunciatum, v. c. impuberem poſſe teſtari, vel ſine tutoris auctoritate vendere: at ſi contra jus *in hypotheſi*, facti errore, v. c. defunctum XIV. annum impleſſe, male ſit pronunciatum, vim rei judicatæ con-

(a) *l. Congruit* 13. *pr. ff. de Offic. Præſid.*
(b) *l. Quæro* 54. *pr. ff. Locat.*
(c) *l. Ceteræ* 4. §. 1. *ff. Famil. erciſc.*
(d) *l. Obſervandum* 19. §. 1. *ff. de Offic. Præſid.*
(e) *pr. h. t.*
(f) *l. Prolatam* 4. *C. de Sentent. & interlocut.*
(1) Ad rem Seneca *Medea* v. 199.

Qui ſtatuit aliquid, parte inaudita altera,
Æquum licet ſtatuerit, haud tamen æquus eſt.

conſequetur ſententia, niſi ab ea fuerit appellatum. (*a*) Ceterum illud ob oculos judex habebit, æquitatem ſtricto juri præferri oportere (*b*). In jure enim æquitatem maxime ſpectari, Paulus reſpondit (*c*).

Verum quo pacto ſententia ferri debeat, variis actionum exemplis exponit Tribonianus. Judex ſcil. reum ſecundum cujuſque actionis naturam damnare debet. Interdum enim aliud eſt in actione, aliud in condemnatione officio judicis. Ita in noxali judicio, ſi ſervus noxam fecerit, actor pure, & ſimpliciter petit litis æſtimationem; dominus autem ita condemnatur, ut aut litis præſtet æſtimationem, aut ſervum noxæ dedat (*d*).

Jam vero ubi in rem actum ſit, judex ſi contra petitorem judicet, debet abſolvere poſſeſſorem, etiamſi is non probet, rem ſuam eſſe: in pari enim cauſa melior eſt conditio poſſidentis (*e*). Ubi vero judex litem actori addixerit, poſſeſſor rem reſtituet cum ipſis fructibus, etiamſi de fructibus reſtituendis nihil ſit pronunciatum (*f*). Quod ſi vero poſſeſſor reſtituere juſſus judici non pareat, ſi rem penes ſe habeat, manu militari officio judicis poſſeſſio ab eo in victorem transferetur, & fructuum, omniſque cauſæ nomine fiet condemnatio. Ubi autem non poſſit reſtituere, & dolo fecit, quominus reſtituere queat, is quidem in quantum adverſarius ſine ulla taxatione in litem juraverit, damnabitur: ſi ve-

(a) *l. Si cum* 2. *C. Quand. provoc.*
(b) *l. Placuit* 8. *C. de Judic.*
(c) *l. In omnibus* 90. *ff. de R. J.*
(d) §. 1. *h. t.*
(e) *l. Poſſeſſiones* 2. *C. de Probat.*
(f) *l. Litigator* 2. *C. de Fruct. & lit. expenſ.*

vero dolo non fecit, quominus reſtituere poſſit, quanti adverſarii interfuit, condemnabitur (*a*). Illud certum eſt, poſſeſſori, qui ſine fruſtratione, i. e. ſine morandi cauſa tempus ad reſtituendum petit, illud officio judicis ei indulgeri; ita tamen, ut ſatisdet de litis æſtimatione præſtanda, ſi intra præſtitutum tempus non reſtituerit. Ceterum poſt ipſam rem judicatam, condemnato datur modicum tempus judicati faciendi cauſa, præſtita tamen cautione, ſe intra conſtitutum tempus ſoluturum (*b*). Ex 12. tab. tempus judicati faciendi menſis fuit præfinitus,ſeu triginta dies, qui *juſti* dicebantur (*c*). Ex Principum conſtitutionibus idem tempus ad duos menſes extenſum (*d*). Juſtinianus vero quatuor indulſit menſes judicati faciendi cauſa (*e*). Ceterum, qui pro tribunali cognoſcit, non ſemper tempus judicati ſervat; ſed nonnumquam arctat, nonnumquam prorogat pro cauſæ qualitate, & quantitate, vel perſonarum obſequio, aut contumacia, ut ait Ulpianus (*f*).

Quemadmodum vero in actione in rem fructus percepti poſt litem conteſtatam, & aliæ acceſſiones veniunt; ita in actione ad exhibendum, quæ eſt præparatoria vindicationis, reus rem exhibere debet cum omni cauſa. *Exhibere* in præſenti ſpecie ſonat, rem in eadem cauſa præſtare, in qua fuit, cum judicium acciperetur, non uſucapta, nec deterior, aut in aliud corpus dolo malo translata (*g*): ple-

(a) *l. Qui reſtituere* 68. *ff. de Rei vindic.*
(b) *l. Si debitori* 21. *ff. de Judic.*
(c) *Gell. Noct. Attic. XV.* 13.
(d) *l.* 1. *C. de Uſur. rei judic.*
(e) *l. Sancimus* 3. *C. eod.*
(f) *l. Qui pro tribunali* 2. *ff. de Re judic.*
(g) *l. Julianus* 9. §. 3. 5. & 6. *ff. ad Exhib.*

plerumque enim plus eſt in manupretio, quam in re ipſa (*a*). In hac actione, ſi res ſtatim exhiberi non poſſit, datur reo tempus, intra quod exhibere queat; modo ſatisdato caveat, ſe rem exhibiturum cum omni cauſa. Quod ſi vero nec rem exhibeat, nec caveat, ſe exhibiturum, condemnabitur in id, quod actoris interfuit, rem ab initio fuiſſe exhibitam (*b*). Si autem rem deteriorem exhibeat, in factum actio contra eum dabitur (*c*).

Liberior autem judicis poteſtas exeritur in tribus judiciis diviſoriis, familiæ erciſcundæ, communi dividundo, & finium regundorum. Et in judicio familiæ erciſcundæ judex res ſingulas ſingulis heredibus adjudicare debet. Ubi vero res aliqua pretioſior alicui ex coheredibus fuerit adjudicata, tum illum, qui rem pretioſiorem tulit, coheredi in certam pecuniam condemnabit, æqualitatis conſtituendæ cauſa (*d*). Quin ſi res commode dividi non poſſunt, poteſt judex eas in ſolidum uni ex coheredibus adjudicare, eumque alteri in certam pecuniae quantitatem condemnare, quanti pars eſt (*e*). Ceterum in hoc iudicio rationem judex debet habere perſonalium præſtationum, nimirum fructuum, ſumtuum, lucri, & damni: familiæ enim erciſcundæ judicium ex duobus conſtat, i. e. rebus, ac præſtationibus, ut ait Ulpianus (*f*).

In judicio communi dividundo ſi de pluribus rebus dividundis agatur, eadem obtinent, quæ in judicio

(a) *l. Mulieris* 13. §. 1. *ff. de V. S.*
(b) §. 3. *h. t.*
(c) *l. Exhibitionis* 7. C. *ad Exhib.*
(d) *l. Mævius* 52. §. 2. *erciſc.*
(e) *l. Si familiæ* 55. *ff. eod.*
(f) *l. Item Labeo* 22. §. 4. *ff. eod.*

Digitized by Google

dicio familiæ erciſcundæ (*a*). Ubi vero una res dividunda in hoc judicium venit, veluti fundus, ſi quidem per regiones commode dividi poteſt, ſingulas ejus partes ſingulis adjudicabit judex: quod ſi unius pars ſit potior, is quidem, æſtimatione juſta facta, alteri in certam pecuniam, æqualitatis ſervandæ cauſa, damnabitur (*b*). Si vero res commode dividi non poſſit, tota uni adjudicabitur, eo ceteris in certam pecuniam condemnato (*c*).

Poſtremo in judicio finium regundorum, ſi fines agrorum commode dirimi non poſſunt, poterit judex partem alteri adimere e confinibus, & alteri adjicere, atque hunc in certam pecuniam condemnare (*d*). Judex enim, ſi fines commode dirimi nequeunt, controverſiam per adjudicationem, & condemnationem reſolvere poteſt, ut inquit JCtus (*e*). Ubi vero quis ex poſſeſſoribus confinium agrorum aliquid circa fines dolo malo commiſerit, ſeu quia finales lapides ſuſtulit, ſeu quia finales arbores excidit, damnabitur judicio finium regundorum (*f*). Ad officium quoque judicis pertinet in hoc finali jurgio, etiam altero litigantium recuſante, mittere agrimenſorem, per quem tota de finibus quæſtio dirimatur (*g*). Cauſa enim finium plerumque per agrimenſores dirimebatur, nec præſidis cognitionem requirebat (*h*). Proinde flumina agrimen-

(a) §. 5. *h. t.*
(b) *l.* 1. C. *Comm. divid.*
(c) *l. Ad officium* 3. C. *Comm. divid.*
(d) *l. Hæc actio* 2. §. 1. *l. Quo caſu* 3. *ff. Fin. regund.*
(e) *d. l.* 2. §. 1. *ff. eod.*
(f) §. *pen. h. t.*
(g) *l. Si quis* 3. C. *Fin. regund.*
(h) *l. Cauſas* C. *Th. de Juriſdict.*

menſorum vice fungi dicuntur, ut ex privato in publicum, vel ex publico in privatum addicant (*a*).

Ceterum his tribus judiciis diviſoriis, quod alicui fuerit adjudicatum, id ſtatim i. e. ante traditionem ejus fit, cui adjudicatur. Jure enim civili per ſolam adjudicationem in hiſce judiciis dominium transfertur (*b*). Id inde factum, quia coheredes, ſocii, ac confines jam antea dominium, quamvis confuſum habebant, quod per ſententiam in hiſce judiciis ſeparatur (*c*).

TITULUS XVIII.

De Publicis Judiciis.

PUblica judicia appellantur, quibus certa pœna conſtituta eſt legibus publicorum judiciorum, & quorum executio, i. e. accuſatio, cuilibet plerumque datur (*d*). Itaque judicia publica cum privatis in eo conveniunt, quod in utriſque libellus, litis conteſtatio, probatio, & ſententia deſideratur: differunt autem publica a privatis in *ordinando* per divinationem (1), *inſtituendo* per accuſationem, & inſcriptionem (2), *exercendo* per judices ſelectos, adhibita

(a) *l. Ergo* 30. §. 3. *ff. de Adquir. rer. domin.*

(b) *Ulp. Fragm. X.* 16.

(c) *Ulp. Fragm. XIX.* 16.

(d) *l. ult. ff. de Furt.*

(1) Divinatio dicitur cognitio circa accuſatoris conſtitutionem; cum ſcilicet ex pluribus deligendus eſt, qui accuſando ſit idoneus. Hinc prima inter Verrinas inſcribitur *Divinatio*: in accuſatione enim Verris inter Cæcilium, & Ciceronem concertatum fuit, uter in accuſando deberet præferri.

(2) Libellorum inſcriptionis conceptio talis eſt: *Dies, &*

bita quandoque quæſtione. Quin & inter publica, ac privata judicia illud quoque intereſt; quod in privatis & civiliter, & criminaliter agi poteſt; at publicis judiciis criminaliter tantum agitur (*a*) (1).

Publica judicia alia ſunt *capitalia*, alia *non capitalia*. Capitalibus judiciis mors naturalis, vel civilis infligitur, puta furca, gladius, ignis, culleus, deportatio, metallum. Non capitalia corporis coërcitionem, vel pœnam pecuniariam cum deminutione exiſtimationis irrogant; veluti fuſtium admonitionem, ſtigmatis inuſtionem, opus publicum temporarium, relegationem, dignitatis ademtionem, multam pecuniariam, infamiam (*b*). Quatuor priora

& conſul: Apud illum Prætorem, L. Titius profeſſus eſt, ſe Mævium lege Julia de adulteriis reum deferre, quod dicat, eam cum C. Sejo in civitate illa, domo illius, menſe illo, conſulibus illis, adulterium commiſiſſe. l. Libellorum 3. pr. ff. de Accuſat. Qui autem libellos dedit, ſubſcribere debet, ſe profeſſum eſſe §.2. *d. l. 3. eod.* Poſt ſubſcriptionem vero ſi, abolitione criminis non impetrata, ab accuſatione recedat accuſator, tamquam calumniator talioni ſubjicietur ex SCto Turpiliano *l. 1. C. ad SC. Turpil.*

(a) *l. Publicorum 2. ff. h. t.*

(b) *l. Capitalium 38. pr. &* §. 1. *ff. de Pœn.*

(1) Hinc quoque diſcrimen intelligitur, quod inter judicia publica, & *populares actiones* intercedit. In popularibus enim actionibus, quæ & *publicæ* vocantur a JCto in *l. Eum, qui 30. §. 3. ff. de Jurejur.* pœna cedit actori *l. Si vero 5. §. 5. ff. de His, qui effud. vel dejec.* exceptis ſpeciebus allatis in *l. Lege agraria pr. 3. ff. de Term. mot. & l. Lege Cornelia 2. §. ult. ff. ad SC. Silanian.* Alia etiam a publicis ſunt crimina *extraordinaria*, in quibus accuſandi poteſtas non cuilibet competit, ſed illis, ad quos ea res pertinet; nec pœna eſt certa lege conſtituta, & res ſine ſollemni juris ordine peragitur. Vid. *l. Stellionatus 3. ff. de Extraord. crimin. l. Concuſſionis 2. ff. de Concuſſ.*

Digitized by Google

ra crimina heic a Triboniano memorata ſemper capite puniuntur : quatuor ſequentia aliquando capitalia ſunt : quatuor reliqua poſteriora ſunt pecuniaria.

Inter publica judicia primum locum obtinet judicium legis Juliæ majeſtatis. Reus majeſtatis dicitur, qui ſummam in republica poteſtatem violat, ſeu monarchicum, ſeu ariſtocraticum, ſeu democraticum ſit regimen. Majeſtatis vero crimen duplex eſt, alterum *perduellionis*, alterum *majeſtatis* in ſpecie dictum. *Perduellionis* reus dicitur, qui hoſtili animo adverſus Rempublicam, vel Principem animatus per proditiones, ſeditiones aliquid in ipſum molitur (*a*). Reus majeſtatis in ſpecie eſt, qui ſine hoſtili animo ſummæ poteſtatis jura lædit. Hoc crimine tenetur, ſi quis monetam cuderit (*b*), privatos carceres habuerit (*c*). Perduellionis crimen adeo truculentum veteribus viſum eſt, ut & ſolus conatus tamquam ipſum crimen fuerit vindicatus; & ſilentium eorum, qui crimen ſciverunt, & non detulerunt, extra ordinem puniatur (*d*).

Pœna perduellionis, & majeſtatis licet ex lege Julia (1) fuerit interdictio aquae, & ignis; tamen per poſteriorum Principum conſtitutiones capitalis indicta eſt (*e*). Quin perduellium memoria, ſi ante ſen-

(a) *l. ult. ff. ad l. Jul. majeſt.*
(b) *l. Si quis* 2. C. *de Falſ. monet.*
(c) *l. Jubemus* 1. C. *de Privat. carcer. inhib.*
(d) *Vid. Gudling. Singularia majeſtatis.*
(e) *Paulus Sentent. V.* 29.
(1) Hujus legis auctor perhibetur Julius Cæſar. Sed ante ipſum Decemviri *eum, qui hoſtem concitaverit, quive civem hoſti tradiderit, capite puniri juſſerunt l. Lex* 3. *ff. ad leg. Jul. majeſt.* Iſthæc Decemviralis lex ſequentibus temporibus varie aucta fuit. Etenim lege Gabinia

ſententiam ipſi deceſſerint, damnatur, & bona fiſco vindicantur (*a*). Præterea perduelles non ſolent lugeri, nec eorum corpora ſepeliuntur (*b*). Poſtremo perduellium liberi, utriuſque parentis, avi, propinquorum, & extraneorum hereditate arcentur; ut his perpetua egeſtate ſordentibus ſit mors ſolatium, & vita ſupplicium (1). Tantum filiabus ex bonis maternis quarta ſervatur ob infirmitatem, pudoremque ſexus (*c*). Id ideo fortaſſe Principibus placuit, quia parentes in hanc ſceleris immanitatem minus proclives futuros putarunt, ſi noſſent, ſeſe pœnas etiam in ſobolem tranſmiſſuros.

Jam vero ob hujus criminis atrocitatem complura in

---

binia clandeſtinarum coitionum participes capite multabantur. Acceſſit lex Apuleja, & lex Varia, quibus vis, & ſeditio in urbe coorta vindicabatur. Lucius vero Cornelius Sylla pluribus capitibus majeſtatis crimina comprehendit; nec ſolum fautores hoſtium, publicæque perturbatores pacis huic judicio ſubjecit; ſed & eos, qui magiſtratibus muneris exercitium intercepiſſent, aut ducibus hoſtium, vel prædonum captis ignoviſſent, eoſque accepta pecunia liberaſſent. Præterea in hoc judicium incidere voluit, qui poteſtatem ſuam abjeciſſet, eamque defendere neglexiſſet, cum publico munere fungeretur. Vid. Sigon. *lib.* 11. *de Judic. cap.* 29.

(a) *l. ult. ff. ad l. Jul. majeſtat.*

(b) *l. Liberorum* 11. §. 3. *ff. de His, qui not. infam. l.* 1. *ff. de Cadaverib. punitor.*

(c) *l. Quisquis I.* §. 1. *&* 3. *C. ad leg. Jul. majeſt.*

(1) Pœna liberorum propter parentum crimen non eſt penitus inaudita ante Arcadii, & Honorarii ætatem. Sylla enim liberos proſcriptorum ab honoribus capiendis prohibuerat propter parentum votum:

Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor.

Quamobrem apud Macedonas adagium circumferebatur

Νηπιος, ος πατερα κτεινας υιους απελειπει.

in majeſtatis judicio contra juris ordinarii regulas fuere recepta. Ita rei perduellionis, cujuſcumque dignitatis ſint, torquentur: reatus enim toliit dignitatem (*a*). Deinde in crimine majeſtatis quilibet teſtes audiuntur etiam infames, criminoſi, & ſervi adverſus dominos (*b*): in hoc ſiquidem crimine etiam ſervis honeſta proditio eſt (*c*). Poſtremo in quæſtionibus majeſtatis etiam mulieres audiri, reſpondit Papinianus; conjurationem enim Sergii Catilinæ mulier detexiſſe fertur (*d*).

Publicum quoque eſt judicium legis Juliæ de adulteriis. Adulterium ex jure Romano ab uxore tantum committitur. Maritus, qui cum virgine, vidua, vel meretrice conſueſcit, adulterii crimine non tenetur (*e*). Proinde adulterium cum nupta tantum committi, ait Papinianus (*f*). Ceterum cum ipſa ſponſa adulterium fieri, reſcripſerunt Severus, & Antoninus, uti refert Ulpianus: neque enim matrimonium qualecumque, nec ſpem matrimonii violare permittitur (*g*).

Ante Auguſtum certa pœna in adulteros non fuit conſtituta. Moribus fortaſſe invaluit, ut ſi maritus uxorem cum adultero deprehenſam occideret, ipſi impune foret: quod ex Catonis oratione retulit Gellius (*h*). Verum molliti paulatim mores vindicem gladium e maritorum manibus extorſerunt (*i*).
At

(a) *l. Decuriones 16. C. de Quæſtion.*
(b) *l. Famoſi 7. ff. ad Leg. Jul. majeſt.*
(c) *l. 2. C. Th. Ne præt. crim. majeſtat.*
(d) *l. In quæſtionibus 8. ff. ad Leg. Jul. majeſt.*
(e) *l. Si ea 22. C. ad L. Jul. de adulter.*
(f) *l. Inter 6. §. 1. ff. eod.*
(g) *l. Si uxor 13. §. 3. ff. eod.*
(h) *Gell. N. A. X. 28.*
(i) *l. 1. §. ult. ff. ad L. Cornel. de Sicar.*

At Auguſtus adulteras relegari juſſit dimidio dotis, & parte bonorum tertia publicata: adulteris quoque relegatione indicta, dimidiam bonorum partem adimi voluit (a). Qui vero adulterium cum inceſtu cumulaſſet, & cognationem ſuam proprio corpore polluiſſet, deportandum ſcribit Marcianus (b). Primus Conſtantinus tam in maſculis, quam in fœminis adulterium morte punivit (c). Quod itaque ait heic Tribonianus (d), lege Julia temeratores alienarum nuptiarum gladio puniri, in eo ratio ipſum fugit (e). At Juſtinianus adulterum capite puniri, adulteram virgis cæſam, & decalvatam in monaſterium detrudi juſſit; ut, ſi vir intra biennium vel deceſſerit, vel eam non repetiverit, ibi maneat privata dotis commodo, ac lucri dotalis (f). Hujus autem criminis accuſatio marito tantum intra dies ſexaginta utiles poſt divortium numerandos permittitur, ubi uxorem de adulterio accuſare velit jure viri: ſi enim accuſet, ut extraneus, ipſum quinquennium continuum ad accuſandum ei datur (g). Apud nos vero extraneis de adulterio accuſare non licet; quemadmodum & ipſis Magiſtratibus ex officio in hujuſmodi crimen inquire prohibetur.

Eadem lege Julia coërcebatur nefanda libido, & ſtuprum. Maſculorum autem concubitores vindicibus flammis tradi juſſit Valentinianus (h); Conſtans vero, & Conſtantinus hoc crimen gladio ultore expiari vo-

(a) *Paul. ſentent. II. 26. 14.*
(b) *l. Si quis viduam ff. de quæſt.*
(c) *l. quamvis 30. C. ad Leg. Jul. de adulter.*
(d) §. 4. *h. t.*
(e) *Nood in Dioclet. & Maxim. 15.*
(f) *Nov. 134. c. 10.*
(g) *l. Adulter. 5. l. Jure 6. C. ad l. Jul. de adult.*
[h] *l. 6. C. Th. ad L. Jul. de adult.*

voluerunt (a). Stuprum autem eſt concubitus illicitus cum virgine, vel vidua honeſte vivente (b). A ſtupro longe abeſt fornicatio cum meretrice, quæ ſi nomen ſuum apud Ædiles profeſſa eſt, extra legis Juliæ curam, & pœnam habetur (c). Stuprum vel *violentum* eſt, vel *voluntarium*. Violenti ſtupri pœna eſt capitalis, ſi conſummatum ſit; ſi vero non fuerit conſummatum, deportatione vindicatur (d). Stupri voluntarii pœna in honeſtioribus ex lege Julia fuit publicatio dimidiæ partis bonorum; in humilioribus corporis coërcitio cum relegatione (e).

Tertium publicum judicium eſt legis Corneliæ de ſicariis. Hujus legis auctor L. Cornelius Sulla Dictator. Ea autem lege tenentur homicidæ, venefici, incendiarii. *Homicida* eſt, qui hominem dolo malo occidit, vel dolo fecit, ut occideretur. Sed præter homicidas ii etiam hac lege tenentur, qui hominis necandi cauſa cum telo ambulant (f). Telum autem hoc loco ſignificat, quodcumque manu jacitur, ſive lignum, ſive lapis, ſive ferrum ſit (g). Homicidii pœna ex lege Cornelia fuit deportatio, & bonorum omnium publicatio; ex Principum vero conſtitutionibus adverſus homicidas gladius fuit indictus (h). Proinde, quod ait heic Juſtinianus, legem Corneliam ultore *ferro*

(b) *l. Cum vir 31. C. eod.*
(b) *l. Inter 6. §. 1. ff. eod.*
(c) *l. Si ea 22. l. Quæ adulterium 29. C. eod.*
(d) *l. 1. §. 2. ff. de Extraord. crimin.*
(e) §. 4. *h. t.*
(f) *l. 1. pr. ff. ad L. Cornel. de Sicar.*
(g) §. 5. *h. t.*
(h) *l. Si quis 8. C. ad L. Cornel. de ſicar.*

ferro homicidas perſequi, id quidem ex jure conſtitutionum promanat.

Eadem lege damnantur venefici, qui venenum hominis necandi cauſa habent, parant, vendunt (*a*); & qui magicis ſuſurris homines occidunt (*b*), quive magos vel de ſalute Principis, vel de ſumma reip. conſulunt; quos capitali ſupplicio ſubjectos fuiſſe, refert Paulus (*c*). Ceterum hodie qui magicis ſuſurris operam impendunt, inter delirantes potius, quam inter ſicarios locum habent. Quod vero ad incendiarios pertinet, ii quidem verberati igni necari jubentur, ſi dolo malo incendium fecerint, vel fieri curarint (*d*).

Ad publica judicia pertinet lex Pompeja de parricidis. *Parricidium* eſt cædes parentum, liberorum cognatorum quoque, ac conjugum, eorumque, qui parentum appellatione continentur (*e*). Porro parricida virgis ſanguineis cæſus, culleo inſutus cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & ſimia vel in mare, vel in amnem projicitur (*f*). Id ita receptum, ut parricida omnium elementorum uſu careret, eique cælum ſuperſtiti, & terra mortuo auferatur (*g*). Iſthæc pœna legi Pompejæ a Juſtiniano tribuitur (*h*). Sed rectius fortaſſe Modeſtinus eam mori majorum acceptam refert; ut & ante ipſos X-Viros hujus pœnæ uſus Romæ receptus videatur.

[a] *l.* 1. C. *de Malefic.*
[b] *l. Multi* 6. C. *eod.*
(c) *Paul. Sentent. V.* 21. 3.
(d) *l. Qui ædes* 9. *ff. de Incend. ruin.*
(e) *l.* 1. *ff. de L. Pomp. de parricid.*
(f) *l. Pœna* 9. *pr. ff. eod.*
[g] *l. Un.* C. *de His qui par. vel lib. occid.*
[h] §. 6. *h. t.*

tur (*a*). Hanc porro pœnam a Decemviris fortaſſe certa lege primum conſtitutam poſt L. Corn. Syllam Pompejus cum Craſſo conſulatum gerens revocavit. Tandem Conſtantinus eam iterum intermiſſam reſtituit (*a*).

Publicum etiam eſt judicium legis Corneliæ de Falſis. *Falſum* eſt veritatis occultatio in alterius fraudem dolo malo facta (*b*). Falſum autem multis modis committi poteſt, vel circa perſonas ſcilicet, vel circa judicia, vel circa inſtrumenta, & teſtamenta, vel circa nummos. Ita qui ſe fingit mutum, vel agnatum; qui falſum teſtimonium dicit; qui inſtrumentum abolet, vel conficit, aut celat; qui teſtamentum ſupponit, aut mutat; qui nummos adulterinos cudit, vel publicos nummos radit, tingit, lavat, in hanc legem incidit. Pœna legis Corneliæ in liberos homines fuit deportatio, & omnium bonorum publicatio; in ſervos ultimum ſupplicium (*d*). Ex Principum vero conſtitutionibus pro falſitatis diverſitaté diverſa pœna fuit conſtituta; ut aliquando ad mortem uſque extendatur; veluti in cauſa ſubjecti partus, & in falſa nummorum fuſione reſcripſere Imperatores (*e*). Huc referri poteſt SCtum Libonianum, quo cautum, ne quis in alieno teſtamento vel ſibi, vel illis, quos in poteſtate habet, aliquid adſcribat. Qui contra fecerit pœna falſi afficitur, & quod ſcriptum eſt, pro non ſcripto habetur (*f*).

Ad

(a) *d. l. 9. pr. ff. de Leg. Pomp. de parricid.*
(b) *l. un. C. de His, qui par. vel lib. occid.*
(c) *l. Inſtrumentorum 16. l. Quid ſit 23. ff. de Leg. Corn. de falſ.*
(d) *l. 1. §. ult. ff. eod.*
[e] *l. 1. C. eod. l. Si quis 2. C. de Falſ. monet.*
(f) *l. 1. §. 7. ff. de L. Corn. de falſ.*

Ad publica quoque judicia refertur lex Julia de vi publica, & privata. *Vis* eſt *majoris rei impetus, qui repelli non poteſt* (*a*). Ea vel licita eſt, quæ jure infertur, veluti e magiſtratu; vel illicita, quæ contra jus fit (*b*). Illicita vis vel publiea eſt, vel privata. Publica vocatur, quæ armis committitur: privata ſine armis infertur. Pœna legis Juliæ de vi publica eſt deportatio (*c*). Si vero ædes alienæ, aut villæ telo ſint expilatæ, effractæ, expugnatæ, pœna capitalis indicta eſt (*d*). Vis autem privata punitur publicatione tertiæ partis bonorum (*e*). Atrocior ſpecies vis eſt raptus, i. e. mulieris, virginis, vel ſanctimonialis abductio. Pœna raptoris eſt ultimum ſupplicium, qua etiam ſatellites tenentur (*f*).

De peculatu etiam agitur publico judicio ex lege Julia. Peculatus eſt furtum pecuniæ publicæ (*g*). Pœna peculatus in magiſtratibus, qui publicam pecuniam adminiſtrant, eſt capitalis (*h*); in reliquis eſt deportatio (*i*).

De plagiariis quoque conſtitutum eſt judicium publicum ex lege Fabia. Plagium eſt *liberi hominis, vel alieni ſervi fraudulenta ſuppreſſio*. Adverſus plagiarios pœna pecuniania ex lege Fabia fuit conſtituta; ſed ex Principum conſtitutionibus

pro

(a) *l. Vis autem* 2. *ff. Quod met. cauſ.*
(b) *l. Continet* 3. §. 1. *ff. eod.*
(c) *l. Qui dolo* 10. §. *ult. ff. ad L. Jul. de vi publ.*
(d) *l. Hi, qui ædes* 11. *pr. ff. eod.*
(e) *l.* 1. *pr. ff. ad L. Jul. de vi privat.*
(f) *l. un. C. de Rapt. virg.*
(g) *l.* 1. *ff. ad L. Jul. pecul.*
(h) *l. un. C. de Crimin. pecul.*
(i) *l. Peculatus* 3. *ff. ad L. Jul. pecul.*

pro-modo delicti interdum poena capitis , plerumque metalli indicta eſt (*a*) . Plagii autem cognitio , quaſi connexa quæſtioni ſtatus , quæ eſt de majoribus cauſis, pertinebat ad notionem Præſidis (*b*); & Athenis de plagio judicabat Areopagus (*c*).

Præterea publicum eſt judicium legis Juliæ de ambitu. Hac lege tenentur , qui per gratiam , & ſordes honorem , magiſtratumque ambiunt. Hujus criminis poena fuit centum aureorum cum infamia in provinciis : in urbe vero deportatione crimen coërcebatur (*d*) . Ratio legis ea fuit , ne judicia forent venalia . *Neceſſe eſt enim , ut , qui emit vendat*, ait Alexander (*e*).

Itidem inter publica judicia numeratur judicium legis Juliæ repetundarum. Hac lege tenetur , qui in magiſtratu, vel quolibet officio publico pecuniam illicite accepit (*f*). Hujus criminis poena extraordinaria eſt, aliquando capitis , interdum exilii , vel deportationis (*g*), quandoque quadrupli (*h*).

Æque publicum judicium eſt legis Juliæ de annona. In hanc legem incidunt , qui dolo faciunt, quo annona carior fiat (*i*). Hac lege tenentur dardanarii, qui annonam dicuntur *flagellare*, *attentare*, *vexare*, *onerare* (*k*) . Hujus criminis poena eſt vigin-

(a) *l. ult. ff. de L. Fab. de plagiar. l. ult. C. eod.*
(b) *l. Non valet* 4. *C. eod.*
(c) *Lucian. in vit. auct.*
(d) *l. un. ff. l. un. C. ad L. Jul. de ambit.*
(e) *Lamprid. in Alexandr.* 49.
(f) *l.* 1. *ff. de leg. Jul. repetundar.*
(g) *l. ex Julia* 7. §. *ult. ff. eod.*
(h) *l.* 1. *C. eod.*
(i) *l. Lege Julia* 2. *pr. ff. de leg. Jul. de annon.*
(k) *l. Annonam* 6. *ff. de Extraord. crimin.*

ginti aureorum (*a*). Sed plerumque extraordinaria poena infligitur (*b*).

Denique publicis judiciis accenſetur judicium legis Juliæ de reſiduis. Hac lege tenetur, qui pecuniam publicam in publicos uſus delegatam ſibi retinuit, neque in eos conſumſit (*c*). Si quis in hanc legem incidit, amplius tertia parte, quam debet, punitur (*d*) i. e. reſtituit eam pecuniæ quantitatem, quæ apud eum reſidua eſt, & eo amplius tertiam ejus quantitatis partem.

Atque hæc de publicis judiciis ſummo digito, & quaſi per indicem attigiſſe, Juſtiniano duce, ſufficiat: plenior eorum ſcientia ex libris Pandectarum hauriri poterit.

Finis Tomi Secundi.

LIB.

(a) *l.* 1. §. 2. *ff. ad Leg. Jul. de annon.*
(b) *l. In dardanarios* 37. *ff. de Pœn.*
(c) *l. Lege Julia* 2. *ff. ad leg. Jul. pecul.*
(d) *l. Lege Julia* 4. §. 5. *ff. eod.*

L I B. L.

Digeſtorum.

T I T U L U S XVII.

De Diverſis Regulis Juris Antiqui.

1. *Paulus* lib. 16. ad Plautium.

REgula eſt, quæ rem, quæ eſt, breviter enarrat: non ut ex regula jus ſumatur; ſed ut ex jure, quod eſt, regula fiat. Per regulam igitur brevis rerum narratio traditur, & (ut ait Sabinus) quaſi cauſæ conjectio eſt, quæ, ſimul cum in aliquo vitiata eſt, perdit officium ſuum.

2. *Ulpianus* lib. 1. ad Sabinum.

FŒminæ ab omnibus officiis civilibus, vel publicis remotæ ſunt: & ideo nec judices eſſe poſſunt, nec magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores exiſtere.

1 ¶ Item impubes omnibus officiis civilibus debet abſtinere.

3. *Idem* libro 3. ad Sabinum.

EJus eſt non nolle, qui poteſt velle.

4. *Idem* libro 6. ad Sabinum.

VElle non creditur, qui obſequitur imperio patris, vel domini.

5. *Paulus* libro 2. ad Sabinum.

IN negotiis contrahendis alia cauſa habita eſt furioſorum, alia eorum, qui fari poſſunt, quamvis actum rei non intelligerent: nam furioſus nullum ne-

Digitized by Google

negotium contrahere poteſt: pupillus omnia, tutore auctore, agere poteſt.

6. *Ulpianus* libro 7. ad Sabinum.

NOn vult heres eſſe, qui ad alium transferre voluit hereditatem.

7. *Pomponius* lib-o 3. ad Sabinum.

JUs noſtrum non patitur, eundem in paganis & teſtato, & inteſtato deceſſiſſe; earumque rerum naturaliter inter ſe pugna eſt, (teſtatus, & inteſtatus.)

8. *Idem* libro 4. ad Sabinum.

JUra ſanguinis nullo jure civili dirimi poſſunt.

9. *Ulpianus* libro 15. ad Sabinum.

SEmper in obſcuris, quod minimum eſt, ſequimur.

10. *Paulus* libro 3. ad Sabinum.

SEcundum naturam eſt, commoda cujuſque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda.

11. *Pomponius* libro 5. ad Sabinum.

ID, quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt.

12. *Paulus* libro 3. ad Sabinum.

IN teſtamentis plenius voluntates teſtantium interpretamur.

13. *Ulpianus* libro 10. ad Sabinum.

NOn videtur cepiſſe, qui per exceptionem (a petitione) removetur.

14. *Pomponius* libro 5. ad Sabinum.

IN omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur.

15. *Paulus* libro 4. ad Sabinum.

(IS,) qui actionem habet ad rem recuperandam, ipſam rem habere videtur.

16. *Ulpianus* libro 21. ad Sabinum.

IMaginaria venditio non eſt pretio accedente.

17. *Idem* libro 23. ad Sabinum.

CUm tempus in teſtamento adjicitur, credendum eſt pro herede adjectum, niſi alia mens fuerit teſtatoris: ſicuti in ſtipulationibus promiſſoris gratia tempus adjicitur.

18. *Pomponius* libro 6. ad Sabinum.

QUæ legata mortuis nobis ad heredem noſtrum tranſeunt, eorum commodum per nos his, quorum in poteſtate ſumus, eodem caſu adquirimus: aliter atque quod ſtipulati ſumus: nam & ſub conditione ſtipulantes, omnimodo eis adquirimus, etiam ſi liberatis nobis poteſtate domini conditio exiſtat.

P A U L U S.

SI filiusfamilias ſub conditione ſtipulatus emancipatus fuerit; deinde extiterit conditio, patri actio competit, quia in ſtipulationibus id tempus ſpectatur, quo contrahimus.

19. *Ulpianus* libro 24. ad Sabinum.

QUi cum alio contrahit, vel eſt, vel debet eſſe non ignarus conditionis ejus: heredi autem hoc imputari non poteſt, cum non ſponte cum legatariis contrahat.

1 ¶ Non ſolet exceptio doli nocere his, quibus voluntas teſtatoris non refragatur.

20. *Pomponius* libro 7. ad Sabinum.

QUoties dubia interpretatio libertatis eſt, ſecundum libertatem reſpondendum erit.

21. *Ulpianus* libro 27. ad Sabinum.

NOn debet, cui plus licet, quod minus eſt, non licere.

22. *Idem* libro 28. ad Sabinum.

IN perſonam ſervilem nulla cadit obligatio.

1 ¶ Generaliter probandum eſt, ubicumque in bonæ fidei judiciis confertur in arbitrium domini, vel

vel procuratoris ejus conditio, pro boni viri arbitrio hoc habendum eſſe.

23. *Idem* libro 29. ad Sabinum.

CONtractus quidam dolum malum dumtaxat recipiunt; quidam & dolum, & culpam: dolum tantum, depoſitum, & precarium: dolum, & culpam, mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum; item dotis datio, tutelæ, negotia geſta: in his quidem & diligentia requiritur: ſocietas, & rerum communio & dolum, & culpam recipit: ſed hæc ita, niſi ſi quid nominatim convenit, vel plus, vel minus, in ſingulis contractibus: nam hoc ſervabitur, quod initio convenit; legem enim contractus dedit, excepto eo, quod Celſus putat, non valere, ſi convenerit, ne dolus præſtetur: hoc enim bonæ fidei judicio contrarium eſt: & ita utimur. Animalium vero caſus, mortes, quæque ſine culpa accidunt, fugæ ſervorum, qui cuſtodiri non ſolent, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum a nullo præſtantur.

24. *Paulus* libro 5. ad Sabinum.

QUatenus cujuſque intereſt, in facto, non in jure conſiſtit.

25. *Pomponius* libro 11. ad Sabinum.

PLus cautionis in re eſt, quam in perſona.

26. *Ulpianus* libro 20. ad Sabinum.

QUi poteſt invitis alienare, multo magis & ignorantibus, & abſentibus poteſt.

27. *Pomponius* libro 16. ad Sabinum.

NEc ex prætorio, nec ex ſolemni jure privatorum conventione quidquam immutandum eſt: quamvis obligationum cauſæ pactione poſſint immutari, & ipſo jure, & per pacti conventi exceptionem: quia actionum modus vel lege, vel per prætorem introductus privatorum pactionibus non infirma-

matur: niſi tunc, cum inchoatur actio, inter eos convenit.

28. *Ulpianus* libro 36. ad Sabinum.

DIvus Pius reſcripſit, eos, qui ex liberalitate conveniuntur, in id, quod facere poſſunt, condemnandos.

29. *Paulus* libro 8. ad Sabinum.

QUod initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere.

30. *Ulpianus* libro 36. ad Sabinum.

NUptias non concubitus, ſed conſenſus facit.

31. *Idem* libro 42. ad Sabinum.

VErum eſt, neque pacta, neque ſtipulationes factum poſſe tollere: quod enim impoſſibile eſt, neque pacto, neque ſtipulatione poteſt comprehendi, ut utilem actionem, aut factum efficere poſſit.

32. *Idem* libro 43. ad Sabinum.

QUod attinet ad jus civile, ſervi pro nullis habentur, non tamen & jure naturali: quia, quod ad jus naturale attinet, omnes homines æquales ſunt.

33. *Pomponius* libro 22. ad Sabinum.

IN eo, quod vel is, qui petit, vel is, a quo petitur, lucri facturus eſt, durior cauſa eſt petitoris.

34. *Ulpianus* libro 45. ad Sabinum.

SEmper in ſtipulationibus, & in ceteris contractibus id ſequimur, quod actum eſt: aut, ſi non appareat, quid actum eſt, erit conſequens, ut id ſequamur, quod in regione, in qua actum eſt, frequentatur. Quid ergo, ſi neque regionis mos appareat, quia varius fuit? ad id, quod minimum eſt, redigenda ſumma eſt.

35. *Idem* libro 48. ad Sabinum.

NIhil tam naturale eſt, quam eo genere quidque diſſolvere, quo colligatum eſt: ideo verbo-

borum obligatio verbis tollitur; nudi conſenſus obligatio contrario conſenſu diſſolvitur.

36. *Pomponius* libro 27. ad Sabinum.

CUlpa eſt, immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti.

37. *Ulpianus* libro 51. ad Sabinum.

NEmo, qui condemnare poteſt, abſolvere non poteſt.

38. *Pomponius* libro 29. ad Sabinum.

SIcuti poena ex delicto defuncti heres teneri non debet; ita nec lucrum facere, ſi quid ex ea re ad eum perveniſſet.

39. *Idem* libro 32. ad Sabinum.

IN omnibus cauſis pro facto accipitur id, in quo per alium mora eſt, quo minus fiat.

40. *Idem* libro 34. ad Sabinum.

FUrioſi, vel ejus, cui bonis interdictum ſit, nulla voluntas eſt.

41. *Ulpianus* libro 26. ad Edictum.

NOn debet actori licere, quod reo non permittitur.

1 ¶ In re obſcura melius eſt favere repetitioni, quam adventitio lucro.

42. *Cajus* libro 9. ad Edictum Provinciale.

QUi in alterius locum ſuccedunt, juſtam habent cauſam ignorantiæ, an id, quod peteretur, deberetur. Fidejuſſores quoque non minus, quam heredes, juſtam ignorantiam poſſunt allegare. Hæc ita de herede dicta ſunt, ſi cum eo agatur; non etiam ſi agat: nam plane qui agit, certus eſſe debet, cum ſit in poteſtate ejus, quando velit experiri: & ante debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere.

43. *Ulpianus* libro 20. ad Edictum.

NEmo ex iis, qui negant, ſe debere, prohibetur etiam alia defenſione uti, niſi lex impediat.

1 ¶ Quoties concurrunt plures actiones ejusdem rei nomine, una tantum quis experiri debet.

44.

44. *Idem* libro 29. ad Edictum.

TOties in heredem damus actionem de eo, quod ad eum pervenit, quoties ex dolo defuncti convenitur, non quoties ex ſuo.

45. *Idem* libro 50. ad Edictum.

NEque pignus, neque depoſitum, neque precarium, neque emptio, neque locatio rei ſuæ conſiſtere poteſt.

1 ¶ Privatorum conventio juri publico non derogat.

46. *Cajus* libro 10. ad Edictum Provinciale.

QUod a quodam pœnæ nomine exactum eſt, id eidem reſtituere nemo cogitur.

47. *Ulpianus* libro 30. ad Edictum.

COnſilii non fraudulenti nulla obligatio eſt: ceterum ſi dolus, & calliditas interceſſit, de dolo actio competit.

1 ¶ Socii mei ſocius, meus ſocius non eſt.

48. *Paulus* libro 35. ad Edictum.

QUidquid (in) calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum eſt, quam ſi perſeverantia apparuit, judicium animi fuiſſe: ideoque brevi reverſa uxor, nec divertiſſe videtur.

49. *Ulpianus* libro 35. ad Edictum.

ALterius circumventio alii non præbet actionem.

50. *Paulus* libro 39. ad Edictum.

CUlpa caret, qui ſcit, ſed prohibere non poteſt.

51. *Cajus* libro 15. ad Edictum Provinciale.

NOn videtur quiſquam id capere, quod ei neceſſe eſt alii reſtituere.

52. *Ulpianus* libro 44. ad Edictum.

NOn defendere videtur, non tantum, qui latitat, ſed & is, qui præſens negat, ſe defendere, aut non vult ſuſcipere actionem.

53. *Paulus* libro 42. ad Edictum.

CUjus per errorem dati repetitio eſt, ejus conſulto dati donatio eſt.

54. *Ulpianus* libro 46. ad Edictum.

NEmo plus iuris ad alium transferre poteſt, quam ipſe habet.

55. *Cajus* libro 2. de teſtamentis ad Edictum urbicum.

NUllus videtur dolo facere, qui ſuo jure utitur.

56. *Idem* libro 3. de legatis ad Edictum urbicum.

SEmper in dubiis benigniora præferenda ſunt.

57. *Idem* libro 18. ad Edictum Provinciale.

BOna fides non patitur, ut bis idem exigatur.

58. *Ulpianus* libro 2. Diſputationum.

EX poenalibus cauſis non ſolet in patrem de peculio actio dari.

59. *Idem* libro 3. Diſputationum.

HEredem ejuſdem poteſtatis, juriſque eſſe, cujus fuit defunctus, conſtat.

60. *Idem* libro 10. Diſputationum.

SEmper, qui non prohibet, pro ſe intervenire, mandare creditur. Sed & ſi quis ratum habuerit, quod geſtum eſt, obſtringitur mandati actione.

61. *Idem* libro 3. Opinionum.

DOmum ſuam reficere unicuique licet, dum non officiat invito alteri, in quo jus non habet.

62. *Julianus* libro 6. Digeſtorum.

HEreditas nihil aliud eſt, quam ſucceſſio in univerſum jus, quod defunctus habuerit.

63. *Idem* libro 17. Digeſtorum.

QUi ſine dolo malo ad judicium provocat, non videtur moram facere.

64.

Digitized by Google

64. *Idem* libro 29. Digeſtorum.

EA, quæ raro accidunt, non temere (in) agendis negotiis computantur.

65. *Idem* libro 54. Digeſtorum.

EA eſt natura cavillationis, quam Græci σόφισμα appellant, ut ab evidenter veris per breviſſimas mutationes diſputatio ad ea, quæ evidenter falſa ſunt, perducatur.

66. *Idem* libro 60. Digeſtorum.

MArcellus ait: Definit debitor eſſe is, qui nactus eſt exceptionem juſtam, nec ab æquitate naturali abhorrentem.

67. *Idem* libro 87. Digeſtorum.

QUoties idem ſermo duas ſententias exprimit, ea potiſſimum excipiatur, quæ rei gerendæ aptior eſt.

68. *Paulus* libro ſingulari de dotis repetitione.

IN omnibus cauſis id obſervatur, ut, ubi perſonæ conditio locum facit beneficio, ibi, deficiente ea, beneficium quoque deficiat: ubi vero genus actionis id deſiderat, ibi, ad quemvis perſecutio ejus devenerit, non deficiat ratio auxilii.

66. *Idem* libro ſingulari de adſignatione libertorum.

INvito beneficium non datur.

70. *Ulpianus* libro 1. de officio Proconſulis.

NEmo poteſt gladii poteſtatem ſibi datam, vel cujuſvis alterius coërcitionis, ad alium transferre.

71. *Idem* libro 2. de Officio Proconſulis.

OMnia, quæcumque cauſæ cognitionem deſiderant, per libellum expediri non poſſunt.

72. *Javolenus* libro 2. ex poſterioribus Labeonis.

FRuctus rei eſt, vel pignori dare licere.

73. *Quintus Mucius Scævola* libro ſingulari ὁρῶν.

QUo tutela redit, eo hereditas pervenit, niſi cum foeminæ heredes intercedunt.

1 ¶ Nemo poteſt tutorem dare cuiquam, niſi ei, quem in ſuis heredibus, cum moritur, habuit, habiturusve eſſet, ſi vixiſſet.

2 ¶ Vi factum id videtur eſſe, quod quis, cum prohiberetur, fecit: clam, quod quiſque, cum controverſiam haberet, habiturumve ſe putaret, fecit.

3 ¶ Quæ in teſtamento ita ſunt ſcripta, ut intelligi non poſſint, perinde ſunt, ac ſi ſcripta non eſſent.

4 ¶ Nec paciſcendo, nec legem dicendo, nec ſtipulando quiſquam alteri cavere poteſt.

75. *Papinianus* libro 1. Quæſtionum.

NOn debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.

75. *Idem* libro 3. Quæſtionum.

NEmo poteſt mutare conſilium ſuum in alterius injuriam.

76. *Idem* libro 24. Quæſtionum.

IN totum omnia, quæ animi deſtinatione agenda ſunt, non niſi vera, & certa ſcientia perfici poſſunt.

77. *Idem* libro 28. Quæſtionum.

ACtus legitimi, qui non recipiunt diem, vel conditionem, veluti mancipatio, acceptilatio, hereditatis aditio, ſervi optio, datio tutoris, in totum vitiantur per temporis, vel conditionis adjectionem: nonnumquam tamen actus ſupra ſcripti tacite recipiunt, quæ aperte comprehenſa vitium adferunt; nam ſi acceptum feratur ei, qui ſub conditione promiſit, ita demum egiſſe aliquid acceptilatio

latio intelligitur, ſi obligationis conditio extiterit: quæ ſi verbis nominatim acceptilationis comprehendatur, nullius momenti faciet actum.

78. *Idem* libro 31. Quæſtionum.

GEneraliter, cum de fraude diſputatur, non quid habeat actor, ſed quid per adverſarium habere non potuerit, conſiderandum eſt.

79. *Idem* libro 32. Quæſtionum.

FRaudis interpretatio ſemper in jure civili non ex eventu dumtaxat, ſed ex conſilio quoque deſideratur.

80. *Idem* libro 33. Quæſtionum.

IN toto jure generi per ſpeciem derogatur: & illud potiſſimum habetur, quod ad ſpeciem directum eſt.

81. *Idem* libro 3. Reſponſorum.

QUæ dubitationis tollendæ cauſa contractibus inſeruntur, jus commune non lædunt.

82. *Idem* libro 9. Reſponſorum.

DOnari videtur, quod, nullo jure cogente, conceditur.

83. *Idem* libro 2. Definitionum.

NOn videntur rem amittere, quibus propria non fuit.

84. *Paulus* libro 3. Quæſtionum.

CUm amplius ſolutum eſt, quam debebatur, cujus pars non invenitur, quæ repeti poſſit, totum eſſe indebitum intelligitur, manente priſtina obligatione.

1 ¶ Is natura debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem ſecuti ſumus.

85. *Idem* libro 6. Quæſtionum.

IN ambiguis pro dotibus reſpondere melius eſt.

1 ¶ Non eſt novum, ut, quæ ſemel utiliter conſtituta ſunt, durent, licet ille caſus extiterit, a quo initium capere non potuerunt.

2 ¶ Quoties æquitate deſiderii, naturalis ratio,

aut dubitatio juris moratur, juſtis decretis res temperanda eſt.

86. *Idem* libro 7. Quæſtionum.

NOn ſolet deterior conditio fieri eorum, qui litem conteſtati ſunt, quam ſi non eſſent; ſed plerumque melior.

87. *Idem* libro 13. Quæſtionum.

NEmo enim in perſequendo deteriorem cauſam, ſed meliorem facit.

Denique poſt litem conteſtatam heredi quoque proſpicitur, & heres tenetur ex omnibus cauſis.

88. *Scævola* libro 5. Quæſtionum.

NUlla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio eſt.

89. *Paulus* libro 10. Quæſtionum.

QUamdiu poſſit valere teſtamentum, tamdiu legitimus heres non admittitur.

90. *Idem* libro 15. Quæſtionum.

IN omnibus quidem, maxime tamen in jure, æquitas ſpectanda eſt.

91. *Idem* libro 17. Quæſtionum.

QUoties duplici jure defertur alicui ſucceſſio: repudiato novo jure, quod ante defertur, ſupererit vetus.

92. *Scævola* libro 5. Reſponſorum.

SI librarius in tranſcribendis ſtipulationis verbis erraſſet, nihil nocere, quo minus & reus, & fidejuſſor teneantur.

93. *Macianus* libro 1. Fideicommiſſorum.

FIlius familias neque retinere, neque recuperare, neque adipiſci poſſeſſionem rei peculiaris videtur.

94. *Ulpianus* libro 2. Fideicommiſſorum.

NOn ſolent, quæ abundant, vitiare ſcripturas

95. *Idem* libro 7. Fideicommiſſorum.

NEmo dubitat, ſolvendo videri eum, qui defenditur.

96.

96. *Mæcianus* libro 12. Fideicommiſſorum.

IN ambiguis orationibus maxime ſententia ſpectanda (eſt) ejus, qui eas protuliſſet.

97. *Hermogenianus* libro 3. juris Epitom.

EA ſola deportationis ſententia aufert, quæ ad fiſcum perveniunt.

98. *Idem* libro 4. juris Epitom.

QUoties utriuſque cauſa lucri ratio vertitur, is præferendus eſt, cujus in lucro cauſa tempore præcedit.

99. *Venulejus* libro 12. Stipulationum.

NOn poteſt improbus videri, qui ignorat, quantum ſolvere debeat.

100. *Cajus* libro 1. Regularum.

OMnia, quæ jure contrahuntur, contrario jure pereunt.

101. *Paulus* libro ſingulari de Cognitionibus.

UBi lex duorum menſium fecit mentionem, & qui ſexageſimo primo die venerit, audiendus eſt; ita enim Imperator Antoninus cum Divo patre ſuo reſcripſit.

102. *Ulpianus* libro 1. ad Edictum.

QUi vetante prætore fecit, hic adverſus edictum feciſſe proprie dicitur.

1 ¶ Ejus eſt actionem denegare, qui poſſit & dare.

103. *Paulus* libro 1. ad Edictum.

NEmo de domo ſua extrahi debet.

104. *Ulpianus* libro 2. ad Edictum.

SI in duabus actionibus alibi ſumma major, alibi infamia eſt, præponenda eſt cauſa exiſtimationis. Ubi autem æquiparantur famoſa judicia, & ſi ſummam imparem habent, pro paribus accipienda ſunt.

105. *Paulus* libro 1. ad Edictum.

UBicumque cauſæ cognitio eſt, ibi Prætor deſideratur.

106. *Idem* libro 2. ad Edictum.

LIbertas inæſtimabilis res eſt.

107. *Cajus* libro 1. ad Edictum Provinciale.

CUm ſervo nulla actio eſt.

108. *Paulus* libro 4. ad Edictum.

FEre in omnibus pœnalibus judiciis, & ætati, & imprudentiæ ſuccurritur.

109. *Idem* libro 1. ad Edictum.

NUllum crimen patitur is, qui non prohibet, cum prohibere (non) poteſt.

110. *Idem* libro 6. ad Edictum.

IN eo, quod plus ſit, ſemper ineſt & minus.

1 ¶ Nemo alienæ rei expromiſſor idoneus videtur, niſi cum ſatisdatione.

2 ¶ Pupillus pati poſſe non intelligitur.

3 ¶ Ubi verba conjuncta non ſunt, ſufficit alterutrum eſſe factum.

4 ¶ Mulieribus tunc ſuccurendum eſt, cum defraudantur, ut non facilius calumnientur.

111. *Cajus* libro 2. ad Edictum Provinciale.

PUpillum, qui proximus pubertati ſit, capacem eſſe & furandi, & injuriæ faciendæ.

1 ¶ In heredem non ſolent actiones tranſire, quæ pœnales ſunt ex maleficio; veluti furti, damni, injuriæ, vi bonorum raptorum, injuriarum.

112. *Paulus* libro 8. ad Edictum.

NIhil intereſt, ipſo jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.

113. *Cajus* libro 3. ad Edictum Provinciale.

IN toto & pars continetur.

114. *Paulus* libro 9. ad Edictum.

IN obſcuris inſpici ſolet, quod veriſimilius eſt, aut quod plerumque fieri ſolet.

115. *Idem* libro 10. ad Edictum.

Si

Digitized by Google

SI quis obligatione liberatus ſit, poteſt videri accepiſſe.

1 ¶ Non poteſt videri accepiſſe, qui ſtipulatus poteſt exceptione ſubmoveri.

116. *Ulpianus* libro 11. ad Edictum.

NIhil conſenſui tam contrarium eſt, qui & bonæ fidei judicia ſuſtinet, quam vis, atque metus: quem comprobare, contra bonos mores eſt.

1 ¶ Non capitur, qui jus publicum ſequitur.

2 ¶ Non videtur, qui errant, conſentire.

117. *Paulus* libro 12. ad Edictum.

PRætor bonorum poſſeſſorem heredis loco in omni cauſa habet.

118. *Ulpianus* libro 12. ad Edictum.

QUi in ſervitute eſt, uſucapere non poteſt: nam cum poſſideatur, poſſidere non videtur.

119. *Idem* libro 13. ad Edictum.

NOn alienat, qui dumtaxat omittit poſſeſſionem.

120. *Paulus* libro 12. ad Edictum.

NEmo plus commodi heredi ſuo relinquit, quam ipſe habuit.

121. *Idem* libro 13. ad Edictum.

QUi non facit, quod facere debet, videtur facere adverſus ea, quæ non facit. Et qui facit, quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere juſſus eſt.

122. *Cajus* libro 5. ad Edictum Provinciale.

LIbertas omnibus rebus favorabilior eſt.

123. *Ulpianus* libro 14. ad Edictum.

NEmo alieno nomine lege agere poteſt.

1 ¶ Temporaria permutatio jus provinciæ non innovat.

124. *Paulus* libro 16. ad Edictum.

UBi non voce, ſed præſentia opus eſt, mutus, ſi intellectum habet, poteſt videri reſpondere.

re. Idem in ſurdo: hic quidem (&) reſpondere poteſt.

1 ¶ Furioſus abſentis loco eſt, & ita Pomponius libro primo Epiſtolarum ſcribit.

125. *Cajus* libro 5. ad Edictum Provinciale.

FAvorabiliores rei potius, quam actores habentur.

126. *Ulpianus* libro 15. ad Edictum.

NEmo prædo eſt, qui pretium numeravit.

1. ¶ Locupletior non eſt factus, qui libertum adquiſierit.

2 ¶ Cum de lucro duorum quæritur, melior eſt cauſa poſſidentis.

127. *Paulus* libro 20. ad Edictum.

CUm Prætor in heredem dat actionem, quatenus ad eum pervenit, ſufficit, ſi vel momento ad eum pervenit ex dolo defuncti.

128. *Idem* libro 19. ad Edictum.

IN pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet.

1 ¶ Hi, qui in univerſum jus ſuccedunt, heredis loco habentur.

129. *Idem* libro 21. ad Edictum.

NIhil dolo creditor facit, qui ſuum recipit.

1 ¶ Cum principalis cauſa non conſiſtit, ne ea quidem, quæ ſequuntur, locum habent.

130. *Ulpianus* libro 18. ad Edictum.

NUnquam actiones, præſertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam conſumit.

131. *Paulus* libro 22. ad Edictum.

QUi dolo deſierit poſſidere, pro poſſidente damnatur: quia pro poſſeſſione dolus eſt.

132. *Cajus* libro 7. ad Edictum Provinciale.

IMperitia culpæ adnumeratur.

133. *Idem* libro 8. ad Edictum Provinciale.

Me-

MElior conditio noſtra per ſervos fieri poteſt: deterior fieri non poteſt.

134. *Ulpianus* libro 21. ad Edictum.

NOn fraudantur creditores, cum quid non adquiritur a debitore, ſed cum quid de bonis deminuitur.

1 ¶ Nemo ex ſuo delicto meliorem ſuam conditionem facere poteſt.

135. *Idem* libro 23. ad Edictum.

EA, quæ dari impoſſibilia ſunt, vel quæ in rerum natura non ſunt, pro non adjectis habentur.

136. *Paulus* libro 18. ad Edictum.

BOna fides tantumdem poſſidenti præſtat, quantum veritas, quoties lex impedimento non eſt.

137. *Ulpianus* libro 25. ad Edictum.

QUi auctore judice comparavit, bonæ fidei poſſeſſor eſt.

138. *Paulus* libro 27. ad Edictum.

OMnis hereditas, quamvis poſtea adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur.

1 ¶ Nunquam creſcit ex poſtfacto præteriti delicti æſtimatio.

139. *Cajus* libro ad Edictum Prætoris urbani.

OMnes actiones, quæ morte, aut tempore pereunt, ſemel incluſæ judicio, ſalvæ permanent.

1 ¶ Non videtur perfecte cujuſque id eſſe, quod ex caſu auferri poteſt.

140. *Ulpianus* libro 60. ad Edictum.

ABſentia ejus, qui reipublicæ cauſa abeſt, neque ei, neque alii damnoſa eſſe debet.

141. *Paulus* libro 54. ad Edictum.

QUod contra rationem juris receptum eſt, non eſt producendum ad conſequentia.

1 ¶ Uni duo pro ſolido heredes eſſe non poſſunt.

142. *Idem* libro 56. ad Edictum.

QUi tacet, non utique fatetur: ſed tamen verum eſt, eum non negare.

143. *Ulpianus* libro 62. ad Edictum.

Quod

QUod ipſis, qui contraxerunt, obſtat, & ſucceſsoribus eorum obſtabit.

144. *Paulus* libro 62. ad Edictum.

NOn omne, quod licet, honeſtum eſt.

1 ¶ In ſtipulationibus id tempus ſpectatur, quo contrahimus.

145. *Ulpianus* libro 66. ad Edictum.

NEmo videtur fraudare eos, qui ſciunt, & conſentiunt.

146. *Paulus* libro 62. ad Edictum.

QUod quis, dum ſervus eſt, egit, proficere libero facto non poteſt.

147. *Cajus* libro 24. ad Edictum Provinciale.

SEmper ſpecialia generalibus inſunt.

148. *Paulus* libro 16. brevis Edicti.

CUjus effectus omnibus prodeſt, ejus & partes ad omnes pertinent.

149. *Ulpianus* libro 37. ad Edictum.

EX qua perſona quis lucrum capit, ejus factum præſtare debet.

150. *Idem* libro 68. ad Edictum.

PArem eſſe conditionem oportet ejus, qui quid poſſideat, vel habeat, atque ejus, cujus dolo malo factum ſit, quo minus poſſideret, vel haberet.

151. *Paulus* libro 64. ad Edictum.

NEmo damnum facit, niſi qui id fecit, quod facere jus non habet.

152. *Ulpianus* libro 59. ad Edictum.

HOc jure utimur, ut, quidquid omnino per vim fiat, aut in vis publicæ, aut (in vis) privatæ crimen incidat.

1 ¶ Dejicit &, qui mandat.

2 In maleficio ratihabitio mandato comparatur.

3 ¶ In contractibus, quibus doli præſtatio, vel bona fides ineſt, heres in ſolidum tenetur.

153. *Paulus* libro 65. ad Edictum .

FEre quibuſcumque modis obligamur , iiſdem in contrarium actis liberamur ; cum quibus modis adquirimus , iisdem in contrarium actis amittamus. Ut igitur nulla poſſeſſio adquiri , niſi animo & corpore poteſt : ita nulla amittitur , niſi in qua utrumque in contrarium actum ſit.

154. *Ulpianus* libro 70. ad Edictum .

CUm par delictum eſt duorum , ſemper oneratur petitor, & melior habetur poſſeſſoris cauſa; ſicut fit, cum de dolo excipitur petitoris ; neque enim datur talis replicatio petitori : *Aut ſi rei quoque in ea re dolo actum ſit* .

1 ¶ Illi debet permitti pœnam petere , qui in ipſam non incidit.

155. *Paulus* libro 65. ad Edictum.

FActum cuique ſuum, non adverſario ſuo nocere debet .

1 ¶ Non videtur vim facere , qui jure ſuo utitur, & ordinaria actione experitur.

2 ¶ In pœnalibus cauſis benignius interpretandum eſt .

156. *Ulpianus* libro 70. ad Edictum.

INvitus nemo (rem) cogitur defendere.

1 ¶ Cui damus actiones , eidem & exceptionem competere, multo magis quis dixerit.

2 ¶ Cum quis in alicujus locum ſucceſſerit, non eſt æquum ei nocere hoc , quod adverſus eum nocuit, in cujus locum ſucceſſit.

3 ¶ Plerumque emptoris eadem cauſa eſſe debet circa petendum, ac defendendum, quæ fuit auctoris.

4 ¶ Quod cuique (pro eo) præſtatur , invito non tribuitur .

157. *Idem* libro 71. ad Edictum.

AD ea , quæ non habent atrocitatem facinoris, vel ſceleris, in his ignoſcitur ſervis , ſi vel dominis, vel iis, qui vice dominorum ſunt, (veluti

luti tutoribus, & curatoribus) obtemperaverint.

1 ¶ Semper qui dolo fecit, quominus haberet, pro eo habendus eſt, ac ſi haberet.

2 ¶ In contractibus ſucceſſores ex dolo eorum, (quibus) ſucceſſerunt, non tantum in id, quod pervenit, verum etiam in ſolidum tenentur; hoc eſt, unuſquiſque pro ea parte, qua heres eſt.

158. *Cajus* libro 26. ad Edictum Provinciale.

CReditor, qui promittit, rem venire, pignus amittit.

159. *Paulus* libro 70. ad Edictum.

NOn ut ex pluribus cauſis deberi nobis idem poteſt; ita ex pluribus cauſis idem poteſt & noſtrum eſſe.

160 *Ulpianus* libro 76. ad Edictum.

ALiud eſt vendere, aliud vendenti conſentire.

1 ¶ Refertur ad univerſos, quod publice fit per majorem partem.

2 ¶ Abſurdum eſt, plus juris habere (eum) cui legatus ſit fundus, quam heredem, aut ipſum teſtatorem, ſi viveret.

161. *Idem* libro 77. ad Edictum.

IN jure civili receptum eſt, quoties per eum, cujus intereſt, conditionem non impleri, fiat, quo minus impleatur, perinde haberi, ac ſi impleta conditio fuiſſet: quod ad libertatem, & legata, & ad heredum inſtitutiones producitur: quibus exemplis ſtipulationes quoque committuntur, cum per promiſſorem factum eſſet, quo minus ſtipulator conditioni pareret.

162. *Paulus* libro 70. ad Edictum.

QUæ propter neceſſitatem recepta ſunt, non debent in argumentum trahi.

163. *Ulpianus* libro 55. ad Edictum.

QUi jus eſt donandi, eidem & vendendi, & concedendi jus eſt.

164. *Paulus* libro 51. ad Edictum.

Pœ-

Digitized by Google

POEnalia judicia ſemel accepta in heredes tranſmitti poſſunt.

165. *Ulpianus* libro 53. ad Edictum.

CUm quis poſſit alienare, poterit & conſentire alienationi. Cui autem donare non conceditur, probandum erit, nec ſi donationis cauſa conſenſerit, ratam ejus voluntatem habendam.

166. *Paulus* libro 48. ad Edictum.

QUi rem alienam defendit, nunquam locuples habetur.

167. *Idem* libro 49. ad Edictum.

NOn videntur data, quæ eo tempore, quo dantur, accipientis non fiunt.

1 ¶ Qui juſſu judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere; quia parere neceſſe habet.

168. *Idem* libro 1. ad Plautium.

RApienda occaſio eſt, quæ præbet benignius reſponſum.

1 ¶ Quod factum eſt, cum in obſcuro ſit, ex affectione cujusque capit interpretationem.

169. *Idem* libro 2. ad Plautium.

IS damnum dat, qui jubet dare; ejus vero nulla culpa eſt, cui parere neceſſe ſit.

1 ¶ Quod pendet, non eſt pro eo quaſi ſit.

170. *Idem* libro 4. ad Plautium.

FActum a judice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non eſt.

171. *Idem* libro 4. ad Plautium.

NEmo ideo obligatur, quia recepturus eſt ab alio, quod præſtiterit.

172. *Idem* libro 5. ad Plautium.

IN contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum eſt.

1 ¶ Ambigua autem intentio ita accipienda eſt, ut res ſalva actori ſit.

173. *Idem* libro 6. ad Plautium.

IN condemnatione perſonarum, quæ in id, quod facere poſſunt, damnantur, non totum, quod ha-

habent, extorquendum eſt, ſed & ipſarum ratio habenda eſt, ne egeant.

1 ¶ Cum verbum *Reſtituas* in lege invenitur, etſi non ſpecialiter de fructibus additum eſt, tamen etiam fructus ſunt reſtituendi.

2 ¶ Unicuique ſua mora nocet, quod & in duobus reis promittendi obſervatur.

3 ¶ Dolo facit, qui petit, quod redditurus eſt.

174. *Idem* libro 8. ad Plautium.

QUi poteſt facere, ut poſſit conditioni parere, jam poſſe videtur.

1 ¶ Quod quis, ſi velit, habere non poteſt, id repudiare non poteſt.

175. *Idem* libro 11. ad Plautium.

IN his, quæ officium per liberas fieri perſonas leges deſiderant, ſervus intervenire non poteſt.

1 ¶ Non debeo melioris conditionis eſſe, quam auctor meus, a quo jus in me tranſit.

176. *Idem* libro 13. ad Plautium.

NOn eſt ſingulis concedendum, quod per magiſtratum publice poſſit fieri: ne occaſio ſit majoris tumultus faciendi.

1 ¶ Infinita æſtimatio eſt libertatis, & neceſſitudinis.

177. *Idem* libro 14. ad Plautium.

QUi in jus, vel dominium alterius ſuccedit, jure ejus uti debet.

1 ¶ Nemo videtur dolo exſequi, qui ignorat cauſam, cur non debeat petere.

178. *Idem* libro 15. ad Plautium.

CUm principalis cauſa non conſiſtit, plerumque ne ea quidem, quæ ſequuntur, locum habent.

179. *Idem* libro 16. ad Plautium.

IN obſcura voluntate manumittentis favendum eſt libertati.

180. *Idem* libro 17. ad Plautium.

QUod juſſu alterius ſolvitur, pro eo eſt, quaſi ipſi ſolutum eſſet.

181.

181. *Idem* libro 1. ad Vitellium.

SI nemo ſubiit hereditatem, omnis vis teſtamenti ſolvitur.

182. *Idem* libro 1. ad Vitellium.

QUod nullius eſſe poteſt, id ut alicujus fieret, nulla obligatio valet efficere.

Marcellus libro 3. Digeſtorum.

ETſi nihil facile mutandum eſt ex ſollemnibus; tamen, ubi æquitas evidens expoſcit, ſubveniendum eſt.

184. *Celſus* libro 7. Digeſtorum.

VAni timoris juſta excuſatio non eſt.

185. *Idem* libro 8. Digeſtorum.

IMpoſſibilium nulla obligatio eſt.

186. *Idem* libro 12. Digeſtorum.

NIhil peti poteſt ante id tempus, quo per rerum naturam perſolvi poſſit. Et cum ſolvendi tempus obligationi additur, niſi eo præterito, peti non poteſt.

187. *Idem* libro 16. Digeſtorum.

SI quis prægnantem uxorem reliquit, non videtur ſine liberis deceſſiſſe.

188. *Idem* libro 17. Digeſtorum.

UBi pugnantia inter ſe in teſtamento inveniuntur, neutrum ratum eſt.

1. ¶ Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata ſunt.

189. *Idem* libro 17. Digeſtorum.

PUpillus nec velle, nec nolle in ea ætate, niſi adpoſita tutoris auctoritate, creditur: nam, quod animi judicio fit, in eo tutoris auctoritas neceſſaria eſt.

190. *Idem* libro 24. Digeſtorum.

QUod evincitur, in bonis non eſt.

191. *Idem* libro 33. Digeſtorum.

NEratius conſultus, an, quod beneficium dare ſe quaſi viventi Cæſar reſcripſerat, jam defuncto dediſſe exiſtimaretur, reſpondit, non videri ſibi principem, quod ei, quem vivere exiſtimabat, conceſſiſſet, defuncto conceſſiſſe; quem tamen modum eſſe beneficii ſui vellet, ipſius æſtimationem eſſe.

192. *Marcellus* libro 29. Digeſtorum.

EA, quæ in partes dividi non poſſunt, ſolida a ſingulis heredibus debentur.

1 ¶ In re dubia benigniorem interpretationem ſequi, non minus juſtius eſt, quam tutius.

193. *Celſus* libro 38. Digeſtorum.

OMnia fere jura heredum perinde habentur, ac ſi continuo ſub tempus mortis heredes extitiſſent.

194. *Modeſtinus* libro 6. Differentiarum.

QUi per ſucceſſionem quamvis longiſſimam defuncto heredes extiterunt, non minus heredes intelliguntur, quam qui principaliter heredes exſiſtunt.

195. *Idem* libro 7. Differentiarum.

EXpreſſa nocent, non expreſſa non nocent.

196. *Idem* libro 8. Regularum.

PRivilegia quædam cauſæ ſunt, quædam perſonæ, & ideo quædam ad heredem tranſmittuntur, quæ cauſæ ſunt: quæ perſonæ ſunt, ad heredem non tranſeunt.

197. *Idem* libro ſingulari de ritu nuptiarum.

SEmper in conjunctionibus non ſolum, quid liceat, conſiderandum eſt: ſed & quid honeſtum ſit.

198. *Javolenus* libro 13. ex Caſſio.

NEque in interdicto, neque in ceteris cauſis pupillo nocere oportet dolum tutoris, ſive ſolvendo eſt, ſive ſolvendo non eſt.

199. *Idem* libro 6. Epiſtolarum.

Non

NOn poteſt dolo carere, qui imperio magiſtratus non paruit.

200. *Idem* libro 7. Epiſtolarum.

QUoties nihil ſine captione inveſtigari poteſt: eligendum eſt, quod minimum habeat iniquitatis.

201. *Idem* libro 10. Epiſtolarum.

OMnia, quæ ex teſtamento proficiſcuntur, ita ſtatum eventus capient, ſi initium quoque ſine vitio ceperint.

202. *Idem* libro 11. Epiſtolarum.

OMnis definitio in jure civili periculoſa eſt: parum eſt enim, ut non ſubverti poſſit.

203. *Pomponius* libro 8. ad Quintum Mucium.

QUod quis ex culpa ſua damnum ſentit, non intelligitur damnum ſentire.

204. *Idem* libro 28. ad Quintum Mucium.

MInus eſt actionem habere, quam rem.

205. *Idem* libro 39. ad Quintum Mucium.

PLerumque fit, ut etiam ea, quæ a nobis abire poſſint, perinde in eo ſtatu ſint, atque ſi non eſſent ejus conditionis, ut abire poſſent: & ideo, quod fiſco obligamus, & vindicare interdum, & alienare, & ſervitutem (in) prædio imponere poſſumus.

206. *Idem* libro 9. ex variis lectionibus.

JUre naturæ æquum eſt, neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorem.

207. *Ulpianus* libro 1. ad legem Juliam, & Papiam.

REs judicata pro veritate accipitur.

208. *Paulus* libro 3. ad legem Juliam, & Papiam.

NOn poteſt videri deſiiſſe habere, qui nunquam habuit.

203. *Ulpianus* libro 4. ad legem Juliam, & Papiam.

SErvitutem mortalitati fere comparamus.

210. *Licinius Rufinus* libro 2. Regularum.

QUæ ab initio inutilis fuit inſtitutio, ex poſtfacto convaleſcere non poteſt.

211. *Paulus* libro 59. ad Edictum.

SErvus reipublicæ cauſa abeſſe non poteſt.

FINIS.

IN-

Digitized by Google

INDEX
TITULORUM

Prior numerus volumen, alter paginam indicat.

A

Actioninus II. 132.
Ademtione legatorum I. 225.
Adoptionibus I. 60.
Adquiſitione per adrogationem II. 15.
Atiliano tutore, & eo, qui ex lege Julia, & Titia datur I. 84.
Auctoritate Tutorum I. 87.

B

Bonorum poſſeſſionibus II. 12.

C

Capitis deminutione I. 78.
Codicillis I. 236.
Curatoribus I. 93.

D

Diviſione ſtipulationum II. 45.
Donationibus I. 156.
Duobus reis ſtipulandi, & promittendi II. 42.

E

Emphyteuſi II. 77.

Emtione venditione II. 62.
Eo, cui libertatis cauſa bona addicuntur II. 17.
Exceptionibus II. 178.
Excuſationibus tutorum, vel curatorum I. 100.
Exheredatione liberorum I. 180.

F

Fideicommiſſariis hereditatibus, & ad SC. Trebellianum I. 229.
Fidejuſſoribus II. 53.
Fiduciaria tutela I. 83.

G

Gradibus cognationum II. 10.

H

Heredibus inſtituendis I. 184.
Hereditatibus, quæ ab inteſtato deferuntur II. 3.
Heredum qualitate, & differentia I. 208.
His, qui ſui, vel alieni juris ſunt I. 43.

I

Iis, per quos agere poſſumus II. 168.
Ingenuis I. 34.
Injuriis II. 124.
Inofficioſo teſtamento I. 203.
Interdictis II. 186.
Inutilibus ſtipulationibus II. 48.
Jure naturali, Gentium, & civili I. 20.
Jure perſonarum I. 30.
Juſtitia, & Jure I. 15.

Le-

I.

Legatis	I. 212.
Lege Aquilia	II. 119.
Lege Falcidia	I. 226.
Lege Fuſia Caninia tollenda	I. 41.
Legitima agnatorum ſucceſſione	II. 5.
Legitima agnatorum tutela	I. 76.
Legitima parentum tutela	I. 83.
Legitima patronorum tutela	I. 82.
Legitimatione	I. 58.
Libertinis	I. 36.
Litterarum obligationibus	II. 58.
Locatione conductione	II. 72.

M

Mandato	II. 89.

N

Noxalibus actionibus	II. 165.
Nuptiis	I. 47.

O

Obligationibus	II. 24.
Obligationibus ex conſenſu	II. 61.
Oligationibus, quæ ex delicto naſcuntur	II. 109.
Obligationibus, quæ quaſi-ex contractu naſcuntur	II. 95.
Obligationibus, quæ quaſi-ex delicto naſcuntur	II. 129.
Officio judicis	II. 198.

P

Patria poteſtate	I. 45.

Perpetuis, & temporalibus actionibus; & quæ ad heredes, & in heredes tranſeunt II. 175.
Per quas perſonas cuique adquiritur I. 164.
Per quas perſonas nobis adquiritur obligatio II. 100.
Pœna temere litigantium II. 194.
Præſtatione doli, culpæ, & caſus II. 35.
Publicis judiciis II. 204.
Pupillari ſubſtitutione I. 194.

Q

Quibus alienare licet, vel non I. 161.
Quibus modis jus patriæ poteſtatis ſolvitur I. 65.
Quibus modis tollitur obligatio II. 101.
Quibus modis re contrahitur obligatio II. 27.
Quibus modis teſtamenta infirmentur I. 199.
Quibus modis tutela finitur I. 92.
Quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum I. 175.
Qui, & ex quibus cauſis manumittere non poſſunt I. 40.
Qui teſtamento tutores dari poſſunt I. 73.
Quod cum eo, qui in aliena poteſtate eſt, negotium geſtum eſſe dicitur II. 159.

R

Rebus corporalibus, & incorporalibus I. 134.
Rerum diviſione, & adquirendo ipſarum dominio I. 109.
Replicationibus II. 184.

S

Satisdatione tutorum, vel curatorum I. 97.
Satisdationibus II. 772.
SCto Orphitiano II. 8.
SCto Tertylliano II. 6.
Servili cognatione II. 10.

Servitutibus ruſticorum, & urbanorum prædiorum I. 135.
Singulis rebus per fideicommiſſum relictis I. 235.
Si quadrupedes pauperiem feciſſe dicatur II. 167.
Societate II. 82.
Stipulatione ſervorum II. 44.
Succeſſione cognatorum II. 8.
Succeſſione libertorum II. 10.
Succeſſionibus ſublatis, quæ fiebant per bonorum venditionem, & ex SCto Claudiano II. 17.
Suſpectis tutoribus, vel curatoribus I. 105.

T

Teſtamentis ordinandis I. 167.
Teſtamento militari I. 174.
Tutelis I. 69.

V

Verborum obligationibus II. 38.
Vi bonorum raptorum II. 116.
Uſucapionibus I. 151.
Uſu, & habitatione I. 149.
Uſufructu I. 143.
Vulgari ſubſtitutione I. 191.

533277

Nazionale V. E. NAPOLI

Adm. Rev. D. D. Franciſcus Conſortius in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor revideat autographum enunciati operis, cui ſe ſubſcribat ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria concordent ad formam Regalium ordinum; & in ſcriptis referat potiſſimum, an quidquam ſit in eo, quod Regiis Juribus, boniſque moribus adverſetur.

Neapoli 6. menſis Auguſti 1788.
POTENZA.

S. R. M.

P*Ræle*ct*iones ad Juſtinianeas Inſtitutiones* a Franciſco Roſſi in hac Regia Studiorum Univerſitate Anteceſſore adornatæ nihil continent, quod aut Majeſtatis jura, aut bonos mores attentet. Ipſæ quidem ſcita brevitate, & elegantia conſcriptæ, atque e purioribus Juriſprudentiæ fontibus deductæ eam eruditionis vim præ ſe ferunt, quæ adoleſcentes ad Romani juris ſcientiam alliciat, & longiori mora properantes non irretiat. Quod vero in Juris civilis inſtitutionibus diu fuerat exoptatum, ut recta philoſophandi ratio eo conferretur, id quidem tanta felicitate harum Prælectionum Auctor præſtitit, ut ceteris omnibus palmam præripuiſſe videatur. Ni ſecus Majeſtas Tua jubeat, e re futurum publica cenſeo, ſi Prælectiones iſtæ in lucem emittantur.

Dat. Neap. Prid. Id. Septembris MDCCLXXXVIII.
Majeſtati Tuæ

Addictiſſimus, & Obſequentiſſimus
Franciſcus Conſortius.

Die

Die 12. *menſis Septembris* 1788.

Viſo reſcripto S. R. Majeſtatis ſub die 1. *currentis menſis*, *&* *anni*, *ac Relatione Dom. Franciſci Confortii*, *de commiſſione Regii Conſultoris D. Dominici Potenza*, *ordine præfatæ Reg. Majeſtatis*:

Regalis Camera S. Claræ providet, *decernit*, *atque mandat*, *quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli*, *ac approbationis dicti Dom. Reviſoris*; *verum non publicetur*, *niſi per ipſum Reviſorem*, *facta iterum Reviſione*, *affirmetur*, *quod concordat*, *ſervata forma Regalium Ordinum*, *ac etiam in publicatione ſervetur Regia Pragmatica*; *hoc ſuum*.

PATRITIUS. SALOMONIUS.

Vidit Fiſcus Reg. Cor.

Illuſtris Marchio Citus Præſes S. R. C. & ceteri Ill. Aularum Præfecti tempore ſubſcript. imp.

Reg. fol. Athanaſius.

Emi-

Eminentiſs. Signore.

VIncenzo Orſino pubblico Stampatore di queſta Fedeliſſima Città, ſupplicando eſpone all' E. V. come deſidera dare alle ſtampe un libro il cui titolo è *Franciſci Roſſi Prælectiones ad Juſtinianeas Inſtitutiones &c.*; Pertanto ſupplica l' E. V. commetterne la reviſione, e l'avrà, ut Deus &c.

Ill. ac Rev. Dom. D. Salvator Can. Rogerius S. Th. Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat. Die 13. *Auguſti* 1788.

ANTON. EPISC. ORTHOSIÆ V. G.
Joſeph Roſſi Can. Dep.

EMI-

EMINENTISSIME PRINCEPS.

QUæ ad Jus Juſtinianeum Prælectiones Seminarii tui uſui deſtinatæ in publicum prodire geſtiunt, eæ quidem juventutis eruditioni quam maxime conducunt, ingentem auctori laudem conciliant, & tuæ dignitatis ſplendorem augent atque amplificant. Ejuſmodi enim diſciplinæ forma conſtituitur, ut perſpicuæ brevitati ſelectarum rerum ubertas minime adverſetur, ac politæ aptæque orationis concinnitas delectatione quadam lectorem alliciat. Inde vero laudem non mediocrem ſibi quæſivit Scriptor, qui nimirum ſuam illuc attulit induſtriam; adeo ſane, ut, quod litteris mandavit, omnium eruditorum lectioni commendaverit. Porro id omne in tuum cedit, Cardinalis ampliſſime, decus & ornamentum: tuæ enim ſapientiæ, tuoque acerrimo judicio acceptum refertur, quod tales ſtrenuiſſimos doctores habeas, a quibus Cleri tui alumni ad optimas artes, ſcientiaſque inſtruuntur. Nihil igitur prohibere poſſe cenſeo, quin illæ in lucem emittantur, præſertim cum nihil ipſæ complectantur, quod fidei dogmatis, morumque præceptis adverſetur. Dat. Neapoli XV. Kal. Octobr. MDCCLXXXVIII.

Emin. Tuæ

Addictiſſimus atque obſequentiſs.
Salvator Can. Rogerius.

Attenta relatione Domini Reviſoris imprimatur hoc die 17. *Octobris* 1788.

ANTON. EPISC. ORTHOSIÆ V. G.
Joſeph Roſſi Can. Dep.

Digitized by Google

y Google